S=5728

**

DE

CORONIS

ET

TONSVRIS

PAGANORVM,

IVDÆORVM,

CHRISTIANORVM,

LIBRI TRES,

Ad Lucem Historiæ Sacræ & Profanæ.

AVCTORE

P. F. PROSPERO STELLARTIO
Ordinis Sancti Augustini per Inferiorem Germaniam
Visitatore Primario.

DVACI,

Typis BALTAZARIS BELLERI sub
Circino Aureo. ANNO 1625.

Cum Gratia & Priuilegio.

liber rarus
Teste Madero de Coronis p. 2. 3.

XVII – 950 – II

ILLV.mo ET REVER.mo

DOMINO D.

FRANCISCO VANDER BVRCH,

ARCHIEPISC. ET DVCI CAMER.
PRINCIPI SACRI IMPERII,
COMITI CAMERACESII &c.

ECCLESIASTICÆ ET MONAST. DISCIPLINÆ.
ADSERTORI ET VINDICI MAXIMO,

TRES HOSCE LIBELLOS

DE CORONIS ET TONSVRIS,

Rem Ecclesiasticam & Monasticam
Illustrantes,

DO, DICO, CONSECRO,

Cliens Humillimus

F. PROSPER STELLARTIVS.

EIDEM IMITVS ANIMITVSQVE
VOVENS

CORONAM VITÆ,

QVAM REPROMISIT DEVS
DILIGENTIBVS SE.

VENERABILIS BEDA, DE GESTIS ANGLORUM.
lib. 5. cap. 22.

Oportet eos, qui vel MONACHI votum, vel gradum CLERICATVS habentes arctioribus necesse habent, pro Domino, se continentiæ funibus adstringere, formam quoque CORONÆ, quam ipse in passione sua spineam portauit, suo quemque in capite per TONSVRAM perferre: vt se etiam irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant.

LECOT-

Lectori Beniuolo.

TRES HOSCE
DE CORONIS LIBELLOS
AD HISTORIÆ LUCEM CONSCRIPTOS,
TIBI LVCIQ; COMMITTIMVS.

PRIMVS
PAGANORVM TONSVRAS PERPENDET.

SECVNDVS
IVDÆORVM CAPILLITIA COMPLECTETVR.

TERTIVS
CLERICORVM AC MONACHORVM
CORONAS DISQVIRET.

IN SINGVLIS HAVD PAVCA
MISCELLANEA INSERVI, QVÆ
TE SEV REGVLAREM IVVENT,
SEV SECVLAREM OB-
LECTENT.

Nouatores ipsos huc adpello, non sine fructu
VISVROS, AVT INVISVROS
TAM ANTIQVAS ANTIQVITATES
S. R. E.

HVIVS TE PRÆMONITVM VOLVI,
MI LECTOR; NVNC
LEGE, FAVE, VALE.

SYLLABVS
AVCTORVM QVIBVS
VSI SVMVS.

Alexander ab Alexandro.
Amalaricus.
D. Ambrosius.
Anastasius Bibliothecarius.
Anastasius Episco. dictus synaita.
Anconinus.
Appianus.
Apuleius.
Arnoldus Wyon.
Artemidorus.
A. Gellius.
Aurel. Augustinus.
Aurelius Victor.
Baronius.
Beda.
Bellarminus.
D. Bernardus.
Bressarion Cardinal.
Biblia Sacra.
Carolus Magnus.
Celsus.
Cicero.
Clemens Alexandrinus.
Cœlius Rhodiginus.
Columella.
Concilia. Carthaginense. Nicenum. Toletanum.
Cornelius Tacitus.
Cyprianus.
Cyrillus Alexandrinus.
Dionysius Areopagita.
Dionysius Alexandrinus.
Durandus.
Ennodius.
Erasmus.
Eusebius.
Euthymius.
Florus.
Genebrardus.
Georgius Pachimenes.
Germanus.
Glossa ordinaria.
Gregorius Magnus.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Turonensis.
Herodotus.
S. Hieronymus.
Hieronymus Platus.
Horatius.
Hugbaldus Monachus Elnonensis.
Hugo de S. Victore.

Ioachi-

Ioachimus Perionius.
Ioannes Bapt. Mātuanus.
Ioannes Bap. Grāmayus.
Ioan. Carpenteius.
Ioan. Chrysostomus.
Ioan. Casianus.
Ioan. Cognatus.
Ioan. Damascenus.
Ioan. Marques.
Ioan. Molanus.
Ioan. Patriarcha Hieros.
Ioan. Picus Mirandula.
Ioan. Tardinus.
Ioan. Trithemius.
Ioan. Tytz.
Ioan. Zonaras.
Iosephus à Costa.
Iosephus Iudæus.
Isidorus.
Iustus Lipsius.
Lactantius.
Laurentius Surius.
Laurentius Valla.
Liberatus Afer.
Lipomanes.
L. A. Seneca.
Liuius.
Lucanus.
Lucianus.
Ludouicus ab Angelis.
Marcilius Ficinus.
Martialis.
M. SS. varia.
Maximus.
Munsterus.
Nævius.
Nicolaus Nicolai.
Nonius.
Optatus Milevitanus.
Ouidius.
Palladius.
Paulinus.
Petronius Arbiter.
Petrus Faber.
Petrus Lanselius.
Petrus Paludanus.
Philostratus.
Platus.
Plautus.
Plinius Secundus.
Plutarchus.
Prosper Aquitanicus.
Pseudo-Prochorus.
Pontifices aliquot in diplom. & decret.
Rabbi Ioseph Mourdakay.
Q. Curtius.
Saluianus.
Sangrinus.
Seruius.
Sidonius Apollinaris.
Sigonius.
Spartianus.
Statius.
Strabo.
Suetonius.
Suidas.
Simeon Metaphrastes.
Tertullianus.
D. Thomas.
Valerius Maximus.
Virgilius.
Vsuardus.

SYLLABVS CAPITVM.

Noter hic Lector Beniuolus, nescio quo casu factum esse, vt numeri capitum huius primi libri pænè omnes malè fuerint signati. Itaque nos pagellarum numeros ijsdem etiam addidimus, quos Lector certius sequatur.

LIBRI PRIMI

CAPVT I. pag. 1.

DIcturus de tonsura capitis, quædam de ipso capite prælibo: partes eius delineo & dilaudo.

CAP. 2. pag. 8. *Capillorum, barbæ, & superciliorum ciliorumque ratio varia, & eorum encomia pauculaac vera.*

CAP. 3. pag. 11. *Capita barbarorum antiquorũ diuersimodè tonsa, semi-tonsa, intonsa, calamistrata, coloribus infecta.*

CAP. 4. pag. 15. *Romani olim intonsi, quãdo primùm tonsi: rursumque quando ex imberbibus barbati esse cœperint.*

Cap. 5. pag. 18. *Gentiles olim diis suis cælitibus aut Manibus capillos offerebant.*

Cap. 6. pag. 21. *Libera dissertatio de Vestalibus paganorum sacrimonialibus, quæ etiam pseudo-numini suo dissectum crinem vouebant.*

Cap. 7. pag. 32. *Romani mærentes, olim, capillum & barbam demittunt: barbari contra demetunt & dimittunt.*

Cap. 8. pag. 33. *Barbaris capillum ponere in signum luctus, olim solenne.*

Cap. 9. pag. 35. *Feminæ Romanæ & barbaræ capillos in luctu funesto deponunt & sepulchris superponunt. Lex XII. Tabularum discussa & explicata.*

Cap. 10. pag. 38. *Capitis abrasio sceleratorum pæna apud Romanos. Illa etiam multimoda & varia: Apollonius Romæ rasus ab Domitiano & quâ caussâ atque exitu.*

Cap. 11. pag. 42. *S. Ioannes Euangelista num forsitan adtonsus? Item an dolio, vel potius solio olei impositus à præfato Domitiano?*

Cap. 12. pag 44. *Rei, caussam Romæ dicturi, capillum barbamque promittebant.*

Cap. 13. pag. 47. *De Ergastulis libera ac diffusa Lypsij collectanea. forma modusque quo miseri illi habiti, nempè vincti, inscripti semi-rasi, semi-ieiuni.*

Cap. 14. pag. 69. *Seruorum manumittendorum capita radi solita, apud Romanos. Locus Iuuenalis & alius Plauti declaratus.*

Cap.

Cap. 15. pag. 73. *Non licuisse antiquis capillos in naui, sine piaculo deponere, docuit Petronius historiâ subsequente, rem nostram haud parum illustrante.*

Cap. 16. pag. 90. *Diuersæ Religiosorum sectæ apud Turcos: eorum capillatura & tonsura iconibus illustrata.*

Cap. 17. pag. 99. *Religiosi Mexicani cultibus idolorum deuoti, adtondebantur in coronam Virgines item Peruanæ, sanctimoniales & claustrales idolorũ, crinem etiam tondebãt.*

LIBRI SECVNDI

Caput I. pag. 102.

De Nazaræis Hebræorum Religiosis: eorum distinctio & nomen: item quanti apud Deum & homines.

Cap. 2. pag. 104. *Regulæ votæ & tonsura Nazaræorum per Moysen institutæ.*

Cap. 3. p. 107. *Iosephi Nazareatus; qualis.*

Cap. 4. pag. 109. *Sanctus Paulinus, erudito poëmatio, docet pueros educandos esse exẽplo Samsonis Nazaræi; quo quidem, super crinibus, moralia complectitur.*

Cap. 5. pag. 111. *Illustrantur loca scripturæ Leuit. cap. 19. vers. 27. cap. 21. vers. 5. & Iere. cap. 9. vers. 26. cap. 25. vers. 23. c. 29. vers. 32.*

Cap.

Cap.6.pa.112. *De tonsura S. Iob, eiusdem Sterquilinium quid & quale: super hoc variè certatum, & præter opiniones vulgares, quædam adserta.*

Cap.7. pag.116. *Analogia Nazaræorum Iudæorum, & Monachorum Christianorum.*

Cap.8. pag.120. *Locum Augustini, super Simeonis coronâ, mihi non intellectum, viris eruditioribus propono.*

Cap.9 pag.121. *Agrippa Iudæus Tiberio reus, agens Romæ, capillum demittit, quem, à Caio Caligula liberatus demetit, & tondet.*

Cap.10. pag.125. *S. Paulus, raso capite Nazaræorum munus implet, & quare: eiusdē Apostoli forma & statura qualis.*

Cap.11.pag.131. *Crinium comarumque luxibus iritatus Deus, Iudæis mulieribus caluitium interminatur. Vltiones diuinæ câ de caussâ variæ.*

Cap.12.pa.145. *Diuinum Moysis edictum de Leprosis: capillitij & barbæ eorum lustrationes & analogia. Item de quodam eorundem instituto monastico nostrate.*

Cap.13.pag.155. *De Elia Thesbite, Prophetâ, religioso Nazaræo, piloso, comato, monachorum Patre & Ordinis à se denominati fundatore, eiusque discipulo Eliseo.*

Cap.14.pa.162. *Legati regis Dauidis ab Ammonitarum rege male habiti, minutis ignominiosè vestibus, & barba semirasi pellūtur.*

Cap.

Cap. 15. pag. 164. *Tropologica quædam de capillitio Absalonis.*

LIBRI TERTII

Caput I. pag. 168.

Corona clericalis & monastica, vnde & quare instituta. Item corona Christi, qualis, iuncea an spinea.

Cap. 2. pag. 172. *Sancti Petri Apostoli effigies & corona vel adtonsio, quales.*

Cap. 3. pag. 174. *Geolfridus Abbas, sententiam suam super ecclesiastica corona rogatus, mittit Regi Pictonum, qui septẽtrionales Britanniæ plagas inhabitabant.*

Cap. 4. pag. 180. *Quid syncerè sentiendum sit de præfato Geolfridi abbatis scripto, à Beda literis commendato, in coronam. Itemque de Corona S. Petri.*

Cap. 5. pag. 182. *Tonsuram monasticam primo seculo vsitatam docemus auctoritate S. Dionysij Areopagitæ; cuius sensum aduersum Nouatores defensamus.*

Cap. 6. pag. 194. *Isidorus & Durandus, quidnam senserint de Ecclesiastica Tonsura.*

Cap. 7. pag. 202. *Rasura Clericorum ac Monachorum, alia in Oriente, alia in Occidente.*

Cap.

Cap. 8. pag. 206. *Monachi à clericis tonsura distincti: & qualiter ad cutem rasi. Item de semi-tonsis Christianis ad metalla dãnatis.*

Cap. 9. pag. 212. *Expenduntur miseriæ deglabratorum in seruitute Turcica (nostris etiam temporibus) Christianorum.*

Cap. 10. pag. 223. *Tonsura olim frequens clericis & monachis; rasura verò vix cognita: nostris verò temporibus indiscretus vsus inualuit.*

Cap. 11. pag. 225. *Clericos olim, monachorum more fere fuisse adtonsos; non vana coniectura est.*

Cap. 12. pag. 227. *De tonsura clericali, vt est dispositio ad sacros ordines.*

Cap. 13. pag. 228. *Africorona monastica derisores VVandalorum flagellis dirè vapulant, & panas luunt.*

Cap. 14. pag. 231. *Imperatores, reges & magnates, ab hostibus victi, tonsi, rasi & monasterijs inclusi.*

Cap. 15. pag. 235. *Virgines Deo dicatæ, etiam olim, in monasterijs amputato capillitio, tonsæ. Eam in rem historia producta sanctimonialis fatuitatem simulantis.*

Cap. 16. pag. 240. *Constitutio Sixti V. Pont. de tonsura per clericos seu milites Græcos, beneficia siue pensiones, obtinentes, deferẽda: & panis contra inobedientes inflictis, publicata Romæ die xviii. Ian. an. 1579.*

Cap.

Cap. 17. pag. 246. *Gallorum iam Christianorum antiquæ leges, capillitij tonsione suos plectebant.*

Cap. 18. pag. 248. *Sanctissimus Pater noster Augustinus, an barbatus, an coronatus. discessum ab opinione iconographorum nostrorum.*

Cap. 19. pag. 250. *Vtrum monachorum nouitij, olim in coronam adtonsi: historia S. Placidi Ordinis Benedictini producitur, & aliquot locis obscurioribus elucidatur.*

Cap. 20. pag. *Trium librorum præcedẽtium Anacephaleosis, & quædam in eis prætermissorum additamenta.*

LICEN-

Licentia Superioris.

NOs Fr. IOANNES ANGHEMIVS Ord. Eremitarum S. P. N. Augustini per Inferiorem Germaniam Vice-Prouincialis & Prior Bruxellensis, Reuerendo P. F. PROSPERO STELLARTIO præfatæ nostræ Prouinciæ Visitatori Primario necnon exorientis nostri Conuentus Duacensis Priori, facultatem damus mandandi typis, & in lucem emittendi *Tres libros de Coronis & Tonsuris Paganorum, Iudæorum, & Christianorum*, quos à Doct. Theol. probatos & Regio munitos esse Priuilegio satis nobis constat. Datum Bruxellæ XIX. Iunij Anno ∞. IC2. XXV.

CENSURA.

HOc opus *De Coronis & Tonsuris Paganorum, Iudæorum, & Christianorum* à R. P. F. PROSPERO STELLARTIO Ordinis S. Augustini compositum, & vno volumine digestum in tres libellos, iucundè à viris doctis lectum & perlectum, quia nihil continere inuenitur regulis sanctæ fidei catholicæ repugnans, sed multigenam ex antiquitatibus doctrinam potius continere, ad communem omnium vtilitatem poterit lucem videre. Actum Duaci die 18. Iulij 1625.

IACOBVS POLLET S. T. D.
& Regius Ordinariusque Professor.

TRes hi libri *De Coronis & Tonsuris*, quos perlegi, auctore R. P. F. PROSPERO STELLARTIO Ordinis Eremitarum S. Augustini per Inferiorem Germaniam Visitatore Primario, lucernam egregiè redolent, antiquitates varias enucleant & Tonsuram siue Clericalem, siue Monasticam ab Nouatorum dicterijs fideliter vindicant. Datum Duaci VIII. Iunij Anno M. D C. XXV.

IOANNES GALLEMART S. T.
Doctor & Professor.

Summa Priuilegij Regis Catholici.

PHilippus Dei gratia Rex Hiſpaniarum &c. Diplomate ſuo ſanxit, ne quis P. F. PROSPERI STELLARTII per Inferiorem Germaniam Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Viſitatoris Primarij Libros *De Coronis & Tonſuris*, præter ipſius voluntatem intra ſex annos imprimat, aut alibi terrarum impreſſos in Belgium importet, venaleſve habeat. Qui ſecus faxit, præter confiſcationem librorum, ſex florenorum illatione pro ſingulis exemplaribus mulctabitur. Vti latiùs patet in literis datis Bruxellæ XIIX. Iunij ∞. D. C. XXV.

Signat.

LE COMTE.

BALTAZARI BELLERO *huius Vniuerſitatis Duacenæ Typographo permitto, vti meos* De Coronis & Tonſuris *libros tres Typis ſuis excudat & diuulget. Ac ne quis in Belgio noſtro alibi impreſſos habeat, caueo ex lege quam Rex Catholicus dixit & indixit.*

Fr. Proſper Stellartius.

F. P. PROSPERI STELLARTII.

DE CORONIS ET TONSVRIS PAGANORVM

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Dicturus de tonsura capitis, quædam de ipso capite prælibo: partes eius delineo & dilaudo.

SVMMVS ille rerum omnium plasmator Deus humanum CAPVT, velut ædificij culmẽ, suis organis sic decorandum censuit, vt μικρόκοσμος & admirandorum eius θαυμα merito nuncupari valeat. Et hinc diuinè philosophans Plato, CAPVT haud *principale* dumtaxat, sed etiam TOTVM vocitauit. Galenus verò *rationalis animæ sedem* indigetat, quoniam inibi

Caput hominis epitome mirabilium Dei.

Plato in Tymæo.

Galenus. Galenus medicorum, cum Hipocrate, princeps, eosdem nunc *organum lucidum* vocat, nunc *Solarem animalis particulam*; *diuinum* quoque *membrum*: quia sit eius præcipuè inexplicabilis ac mira subtilitas, si quid aliud in animantium naturâ. Stoici, visum, *Dei* appellatione cohonestare non

Oculi sunt forma hominis. sunt veriti: sicut Theophrastus OCVLVM, *hominis formam* vocabat; quoniam eo exuta facies, euadat informis. Hinc illa

Oculorum munimenta. naturæ cautela, quæ studio inenarrabili aduersus occursantia, sinuosâ veluti conualle eosdem recondidit, prominentibus illinc supercilijs & fronte, tanquam vallo, obsepiente; hinc, malis protuberantibus atque ex imo coorientibus, ceu cliuis ad propugnacula partium toto corpore prætiosissimarum. Hi profecto, lucis vsu, vitam ab tenebris & morte discernere mihi videntur.

Aurium delineatio. Avres, quarum iudicium, vt auctores celeberrimi dixere, superbissimũ est, quia sonum recipiunt, qui naturâ in sublime fertur. Nonne summâ sapientiâ sunt in prominenti ac principe corporis parte cõstitutæ? In ijs, quàm varijs meandris natura lusit?

Rectus simplexque meatus primùm, euadit mox tortuosus: inde iuxta cerebrum in multa ac tenuia foramina diducitur, per

quæ

quæ facultas audiendi est. Quin & in propinquo duo paruuli quasi sinus sunt, superque eos finitur os, quod transuersum à genis tendens, ab inferioribus sustinetur ossibus.

Est autem in aure imâ, dicatus *memoriæ locus*, nato inde more, vt rapturi in ius aduersarium, testes facerent, auriculæ contactu, dicentes: *Esto memor*. aliàs, iniectio manûs non erat. Neque tamẽ licebat hoc, nî futurus testis adnuisset: ideo, sic interrogabatur: *Licet testari?* *Ima pars auris dicata memoriæ.*

Numnam fortassis inde factum aliquãdo, vt ijs, qui sui humanæque societatis immemores, vicinos suos furtis erant aggressi, aures amputabantur? An potiùs, quia latæ legi non obaudientes, partibus illis meritò priuati sunt, quibus eam promulgari seriò audiuisse debuerant? *Aurium amputatio quibus debita.*

NARES ratione scitissimâ & peculiari, in capite, sublimi scilicet hominis parte, cõlocatæ sunt; quòd ea ferè sit odoris cuiuslibet natura, vt superna petat. Accedit, quòd cibi potusque magnum in ijs examẽ cùm sit, non absre, viciniam oris occupant. *Narium encomia.*

NASVS porrò, formæ pars haud minima est; quẽ *Gratiarum sedem* appellauerũt poëtę, cui tãquã odoris ministro, quotquot flores nati, sunt destinati. Per eũ sanè, non *Nasi laudes.*

minùs fouetur animus, quàm per aures intellectus. Sternutamentum eâdem agitur parte, signum augurale & vnum è spiritibus sacrum, quo suaues halitus inspirantur, expirantur.

Labiorum descriptio. Labia, nonne & ipsa in homine præsignem ab cæteris rationem habent? In brutis quippe dentium modo hæc tegumenta sunt, & veluti quædam processtria: at nobis etiam in loquendi necessitate, mirabile suggerunt adiumentum; indeque mollia carnosaque natura finxit. Sicut enim humana lingua duplici munere fungitur, animi conceptus enunciando, & vim saporum præsentiendo, propterea que ab cæteris disparatur, nec similis est; ita nec in labijs simplex functio est, sed dentes quidem decorè contegunt, locutionemque magis articulatam præstant. Ea namque conflatur ex literis, quarum enunciatio plurimùm obturbata, detruncata, nec intelligibilis præstaretur, nî ad hanc rationem labra linguamque conformasset artificis infinita prouidentia.

Linguæ vtilitas. Lingva, donum prorsus incomparabile; in quo inæstimabili munificentiâ, nos, vt legitimos filios suos, amplexatur Deus. Quid enim in tot tantísque corporis dotibus, æquâ pensandum librâ? Huius siquidem facultate, post mentem quæ nos ex

æquo

aquo ferè cum cœlitibus constituit, constat præcipuè illa (vt à Sophocle dictum est) Regina rerum eloquentiâ: quâ (sicuti locuitur ipse M. Tullius) *cohortamur, persuademus, perterritos à timore abducimus, gestientes comprimimus, cupiditates, iras restinguimus; hæc nos iuris, legum, vrbium societate deuinxit; hæc nos à vitâ immani & ferâ segregauit.* Cicero de Oratore.

Eximium est quod ab eâ profluit emolumentum, parturiente semper animo quę vel obseruaris intentissimè, vel summo excogitaris ingenio. Nescire malumus magna pars, quàm in his tantis laboribus & curis profeciſſe, vt abdita illatebrataque velut in sanctuarijs aut sepulchro potiùs tam pretiosæ supellectilis munera supprimamus. Quid illa in calamitatibus, tanquam oneris præmolesti adleuatio, cum amicis communicatio? Quid secundis in rebus incredibilis & gestiens ille ardor animi, eisdem impertiendi boni? Denique vt rei pretium intelligamus, ingeniosæ ac plausibiliter mihi feciſſe videntur, qui linguam plectro similem prodidere, chordis verò dentes, nares cornibus quîs canenti accinitur. Nam & magnus ille Mediolanensium Antistes, loquentis linguam plectrum facit.

Hæc verò suprafata omnia miro modo,

diuinę maiestatis recinunt amplitudinem, & sapientiam eius tubâ clariùs insonant, ingeruntque malè gratis ac periniquis tantorum munerum æstimatoribus. Nos profectò minùs ingrati eadem Dei munera *coronamus*, & ipso capillitij circo caput ambientes, eius artificem quanti ficiamus, vtcumque demonstramus.

CAPVT II.

Capillorum, Barbæ, & Superciliorum Ciliorumque ratio varia, & eorum enconia paucula ac vera.

Capilli laudati.

DElineato vtcumque capite, paucula de capillorum, barbitij atque superciliorum ratione sunt subiũgenda. Capillorum igitur materiam putant eruditi fumidum vaporem, crassum, humectum, glutinosum: efficiens verò frigiditas est tum intima in cute ac ossibus capitis, tum extima aëris nos ambientis, quę vaporem ab imo scandentem ac in poris meatibusque cutis retentum, diutiùs cogit densescere. Eorum autem ratio non est quidem in decore præcipua, vtcumque tamen speciosissima spectatur cæsaries, reuerenda in senibus, veneranda in Religiosis, in bellatoribus terribilis, decora in adolescentibus,

Eorum materia.

centibus, in mulieribus compta, dulcis in pueris.

Barba descripta.

BARBA mirum est quantum ad dignoscendam corporum maturitatem & sexus conferat discernicula, aut ad decorem etiamnum roboris. Certè enim barbam quasi virilitatis insigne à Deo donatam esse nemo non confitetur. Diogenes eam se ideo gestare iactitabat, vt se virum esse subinde recordaretur. Artemidorus filios tantum ornamenti patribus afferre dixit, quantum ori barba decoris addit. Cynycus quoque apud Lucianum tam deforme putauit ornatum barbæ viris auferre quàm Leoni iubas. Theseum perhibent tondere barbam voluisse nunquam, vt virtutem ipse suam eo profiteretur indicio. Laco quidam interrogatus cur prolixam adeò barbam aleret, *vt canos meos videns*, respõdit, *nihil ijs indignum in me admittam.*

Barba virilitatis insigne.

Polyphemus quis & qualis.

Ouidius Polyphemũ tyrannum, virum vafrum & qui politicæ prudentiæ oculum fronte gestaret, verùm inhospitalem & aduenarum exactorem egregium, in fabularum suarum theatro productum, loquentem sic inducit:

Nec mea quod duris horrent densissima setis
Corpora, turpe puta: turpis sine frondibus arbor;

Ouid. Metam.

Turpis

Turpis equus nisi colla iubæ flauentia velent:
Pluma tegit volucres, ouibus sua lana decori est:
Barba *viros, hirtaque decent in corpore setæ.*

Plutarchus auctor est Lacones comam barbamque alere solitos, Licurgi memorantes dictum, qui pilos eiusmodi formosis pulchritudinem augere, deformes verò terribiliores hostibus reddere pronunciasset.

Superciliorum ratio. Svpercilia, quàm artifici ingenio superposita oculis, vt demanantes aliorsùm corriuarent humores? In ijs, sicut in oculis, animæ quoque pars est: siue negemus, siue adnuamus, hæc indicant maximè. Fastus aliubi conceptaculum, hîc sedem habere videtur, in corde nascitur, huc subit, hic pendet.

Supercilia Iunoni Lucinæ sacra. Svpercilia Iunoni Lucinæ à mulieribus fuisse adtributa, Varroni credimus: ibi enim maximè collocari Lucina debuit, vbi ab Dijs (vt eorum ore non sensu loquar) lux datur oculis.

Ciliorum vtilitas. Cilia verò quæ palpebris prominent, nonne & ipsa vtilitate mirabili sunt constituta? ea namque minutarum rerum ad oculos incursum, tanquam stipatores quidam, repellunt, simulque visiuum dirigũt spiritum, vel etiam ab oculis promicantes radios, quibus videndi rationem præcipuè

constare

constare, persuasissimum Platonicis est. Quid, quod pilorum illa nigrities lumen egregiè fouet atque contemperat. Adeò ne in minimis quidem deficit diuinæ prouidentiæ cura. Sed ingratitudinis vitio magna pars, lance vel iniquissimâ beneficam pensamus clementiam, ne intelligentes quidem ignorantiæ nubilo obuoluti, quâ quid ratione sit cõparatùm. Nam quotusquisque aduertit hosce pilos nunquam ferè iusto plus increscere, ne inde præpediatur visus: imò verò ne fieret, summo studio cauisse naturam? propterea festiuissimè Galenus ab creatore cilijs iniunctum scribit, æqualem seruare magnitudinem: illa verò diuinum verita mandatum omninò extra præscriptum non vagari.

Hominis cæcuties in demirãdis Dei muneribus.

CAPVT III.

Capita barbarorum antiquorum diuersimodè tonsa, semitonsa, intonsa, calamistrata, coloribus infecta.

ARabes, Abantes & Mysij ne in conflictu belli hostibus præda forent, anteriorem capillum rasitarunt: qui etiam puellarem comam in rotundum tondebant tempora subradentes.

Arabes. Abantes. Mysij.

Ferunt Curetas & Ætolos pariter cùm à fronte

Curetæ. Ætoli.

à fronte essent capillati, & crinibus ab hoste raperentur, frontem abrasisse, & ab occipite cæsariem nutrîsse.

Milites Macedones. Idipsum de Alexandro Macedone proditum est, qui barbam militibus radi iussit, ne hostili prædæ præberent ansam.

Maelyæ. Aiunt quoque Machlyas natiuâ consuetudine, crinitum occiput gestare sicut Anses anteriorem capitis partem.

Spartani milites. Lycurgus verò, Spartanos milites promisso capillo & comatos esse voluit, quamuis more Laconico, *barbam ad cutem rasitarent:* illos propterea aut venustiores, aut visu terribiliores hostibus futuros arbitratus. Apud eos enim populares à Cæsarie noscebantur.

Mauri & Britanni. Mauris & Britannis in more fuit vt cincinnis ornati essent, comis rutilis, & capillo tam compositio, vt in incessu vix se contingi paterentur, omni corporis parte abrasâ, præter caput & Labrum.

Lycij. Lycij comam tanti fecere, vt ne crines tonderent, æra, pœnæ nomine, Mausolo Regi Cariæ soluere non detrectarent.

Maxij. Maxij dextram capitis partem comatam gerunt, sinistram radunt.

Lusitani. Lusitani comas tondere nefas ducunt, itaque

itaque illas diffundunt vt fœminæ.

Gallis comatis plurimus capillus erat, æque maribus & feminis: vnde nomen desumpsere. *Galli.*

Indi capillum pectunt sæpiùs quàm tondent, barbâ semper intonsâ. *Indi.*

Agathyrsi cœruleo fucantur capillo. *Agathyrsi*

Arabes intonsi fuere, barbâ solùm abrasâ. *Arabes.*

Scythæ & Parthi, quo maiorem incuterent hostibus terrorem, hirsuti fuere, prout apud auctores quosdam legitur. *Scythæ. Parthi.*

Germani & Catti, quibus rufus erat crinis, coactum in nodum gestare, ducentes nefas capillum barbamque tondere, nî caput hostis ex acie retulissent: & hinc traditum est Parthorum esse capillum effundere, Scytharum spargere, Germanorum iungere. *Germani. Catti.*

Sueuis quoque Germanorum adfinibus, vsurpatum est horrentem capillum ligare in summo, vt hostibus terrori sint; vel retrò flectere. *Sueui.*

Dacæ cùm caput radant totum, in summo vertice cirrum crescere sinunt. *Dacæ.*

Riphæi viri pariter & mulieres, detonso sunt vertice, & capillo sic deraso, vt glabri videantur. *Riphæi.*

Miconij omnes Caluitio laborant, æque vt in *Miconij.*

vt in Cauno omnes lienosi: non sic in Ægypto, vbi rarò caluitium fuit.

Athenienses. Produnt auctores, Athenienſium vetuſtiſſimos capillis colligendis *cicadas* aureas adnectere ſolitos fuiſſe: vt eo argumento *autochthones*, hoc eſt, primos & ſine origine ſe probarent.

Capilli coloribus infecti damnantur. Capillum porrò vel barbam inficere coloribus, imbellium femineumque fuiſſe exempla ſuppetunt: In primis Philippi Macedonis qui cùm ex amicis Antipatri, arbitrum elegiſſet, quem aduertiſſet barbam & capillum inficere, protinùs gradu diſiecit, & quaſi mēdacem iudicare vetuit. Pari ratione, Archidamus Rex exigi mandauit eũ, qui Spartæ concionaturus, fucato capillo orarium conſcendiſſet. Legimus adtamen Hannibalem ducentem in Italiam, crinibus ſæpe mutatis ſeſe à Gallorum inſidijs egregiè vindicaſſe: & Pyrrhũ comâ coloribus ceruſſatâ inceſſiſſe: Quod olim & hodie puellis & mulieribus non tam barbaris quàm noſtratibus & Chriſtianis, heu! quotidianum nimis & commune.

CAPVT

CAPVT IV.

Romani olim intonsi, quando primùm tonsi: rursumque quando ex imberbibus barbati esse cœperint.

APud Romanos ab vrbe conditâ ad annum vsque CDLIV. iuuenes pariter ac senes intonsos fuisse liquet. Sed postquam Publius Ticinius è Sicilia tonsores adduxit Romam, inde vt iuuenes rasitarent barbam capillumque tonderent ad annum quadragesimum institutũ mansit: post eum verò non licebat. Apud Rhodigiuũ legimus *Corson cognominatum eum qui barbam sibi primus abrasit, quod Alexandri tempestate factum auctor Chrysippus est.* *Tonsores Romam quando & à quo adducti.* Rhod. li. 4. cap. 2.

Primus tamẽ inter Romanos qui quotidie rasitaret, Aphricanus traditur: deinde, Augustus, quod seruis vilioribus inhibitum fuisse scribit Genialium Dierum auctor, volens eos INTONSA BARBA & CAPILLO HIRTO fuisse.

Fuit animaduersum ante Hadrianum Cæsarem, Imperatores barbam sæpè rasitâsse: ipse enim ex Cæsaribus primus barbâ capilloque promissis incessit. *Hadrianus inter Imperatores primus barbam gerit.*

Commodus Imperator, cum nulli tonsori

sori crederet (sicut Alexander Phereus & Dionysius tyrannus) sibi ipse, candente carbone, iuglandium putaminibus, barbam adurebat: quin & fucato capillo cùm ramentis aureis incessit. Quod etiam de Lucio Vero & Galeno Imperatoribus traditum est, qui auri scrobem crinibus aspersere.

Ad quodnam verò tempus apud Romanos eiusmodi vsus radendi barbas perseuerauerit, haud est facilè diffinire. Constat tamen regnantibus Gothis in Italiâ eundem morem esse seruatum: quamobrem Ennodius Ticinensis, suis versibus vehemẽter exagitauit hominem, qui more Gothorum, prolixam gestaret barbam, & secundum Romanorum cõsuetudinem lacernam indueret: hæc enim habet in Iouinianum:

Ennodius in Iouinianum.

Barbaricam faciem Romanos sumere cultus
Miror, & in modico distinctas corpore gentes.

Ac iterum:

Romuleam tegetem vox oris nubila fuscat:
Oppressit vestes tenebroso tegmine vultus.

Idemque rursum:

Nobilibus collis genium malè compta lacernis:
Discordes miscens inimico fœdere proles.

Vbi aduertimus loco prodigij habitum lacer-

lacernatum hominem barbam gestare.

Neque dubitari potest quin illi populi qui relicto Oceano vltimisque Germaniæ oris, Albino duce, omnibus penè citerioris Galliæ captis vrbibus, ad Padum in Italia sedem fixere, *Barbarum* vsum deuictis nationibus commendarint. Ij namque fuerunt qui ab longis, quas gestabant, *barbis*, LONGOBARBI primò nominati, postea *Longobardi* appellati fuere. *Longobardi quasi Longobarbi.*

Porrò etsi sensim pristinus ille mutatus est vsus cum præfati barbari alijque, Romæ atque in Italia diutiùs morarentur: tamen quod ad Clericos spectat sic viguit eius rei obseruantia, vt non viuere more maiorum ferè religio haberetur aut piaculum. Sicque factum est, vt penes eos eiusdem rei vsus inuiolatus & cõstans plurimis seculis perdurârit, monentibus id præsertim Romanis Pontificibus. Extant enim in id argumẽtum scriptæ literæ Gregorij Papæ VII. ad Iacobum Episcopum Calaritanum, iubentis, vt clericos suos omnes BARBAM radere cogeret; idque ex maiorum consuetudine vindicantis; adfirmantis nimirum, ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ id illibatè esse seruatum. Idem etiam Põtifex ijsdem de rebus ad Sardiniæ Ducẽ epistolas dedit, anno Domini MLXXX. III. Non. Nouẽb. Indict. IV. *Clerici cæteris barbas alentibus, more maiorum tondentur aut raduntur.* *Gregorius VII. clericos radi mand. at*

Sed his iam penè contrarius habetur vsus; nec constans vbique ritus: cùm alij tondeant, radant alij, alij rursus barbam promittant. absque iacturâ fidei vnusquisque abundans in sensu suo.

CAPVT V.

Gentiles olim Dijs suis cœlitibus aut Manibus capillos offerebant.

Barba prima numini oblata cum capillis.

QVod à Nazaræis capillos Deo vouentibus religiosè adeò fiebat, id Gentiles mirâ superstitione obseruauere. Moris quippe fuit veteribus, vt barbam primam & capillos radentes, sollenni ritu cuipiam numini consecrarent. Neronem legimus *inter Buthysiæ apparatum barbam primam posuisse conditamque in aureâ pixide & pretiosissimis margaritis adornatam, Capitolio consecrasse.* Hinc nobis perspicui sunt versus Martialis:

Suetonius in Nerone.

Martialis lib. 9.

Consiliũ formæ, speculũ dulcesque CAPILLOS
Pergameo posuit dona sacrata Deo.
Felix quæ tali censetur munere tellus,
Nec Ganymedæas mallet habere COMAS.

Idem in subsequenti Epigrammate Æsculapium sic adloquitur:

Latonæ venerande nepos, qui mitibus herbis
Parcarum exoras pensa breuesque colos:

Hos

Hos tibi laudatos dominorũ voce CAPILLOS
Ille tuus Latiâ misit ab vrbe puer.
Addidit & nitidum SACRATIS CRINIBVS *orbem,*
Quo fælix facies, indice tota fuit.
Tu iuuenile decus serua, me pulchrior ille
In longâ fuerit quàm breuiore COMA.

Hanc in Theseo consuetudinem antiquissimam facit Plutarchus; *Vigebat*, inquit, *illis temporibus consuetudo, vt qui ex ephebis excessissent, delati in Delphos, de* COMIS DEO PRIMITIAS DARENT. *Accessit igitur in Delphos Theseus,& ANTERIOREM CAPITIS PARTEM SOLAM ABRASIT, vt de Abantibus scribit Homerus. Atque hoc tonsuræ genus* THESEIS, *ob illum, nuncupatum est. Abantes verò primi hoc tondendi more vsi sunt: quem quidem non ab Arabibus, vt quidam existimant, didicerunt, sed quòd naturâ bellicosi essent, & cominùs pugnandi ac præter cæteros manus cum hostibus conserendi peritiam tenerent. Ne igitur vllas hostibus ad capiendum ansas darent, tondebantur.* Plutarchus. Tonsuræ genus *theseis* appellatum.

Quid quod plerique olim longiùs à patria proficiscentes, si incolumes postea reuerti contingeret, COMAM Deo cuipiã ex voto consecrabant? Hinc illa apud Petronium Glicæ increpatio & contra Encolpum insurrectio: *Cui* DEO CRINEM *Peregrè proficiscẽtes crinem cuipiã Deo vouent aut etiam amicis.*

Petron. arbit. vovisti? *pharmace, responde.*

Inde etiam apud Homerum Achillis Apostrophe:

Hos alios CRINES *tibi nomine Peleus*
SACRARAT, *pater, in patriam si fortè rediſſem;*
Hanc tibi diſſectam celsâ de fronte dicarem,
Mactaremque agnos decies quinque albicomantes,
Ad fontem quo templa tibi, atque altaria fumant.

Non agit hîc Achilles de primâ comâ quàm olim lætus abraſerat; ſed de eâ, quam totondit mœrens in Patrocli funere: queriturque non exauditum patrem; atque adeò triſtis admodum comam deuouet amico demortuo dicens:

Hæc vouit ſenior, cuius tu vota preceſque
Non exaudiſti: nunc cùm mihi fata negarint
Ad patrios remeare lares, charoſque parentes,
DEVOVEO *hanc Patrocle* COMAM *tibi. Talia dicens*
In manibus poſuit iam non capientis amici
Cæſariem. Lachrymas nec cõtinuere videntes.

CAPVT

CAPVT VI.

Libera dissertatio de vestalibus paganorum sacrimonialibus, quæ etiam pseudo-numini suo dissectum crinem vouebant.

QVi de Vestalibus virginibus memoriam reliquere, illas à Numa Pompilio primum lectas fuisse autumant; quod sacerdotium cùm Albæ oriundum esset, idem Numa inde translato sacro, Romam aduocauit: vtque Vestę antistites assiduè forent, præcipuâ virginitate & alijs cæremonijs sanctas fecit. Cuius instar sacri, in Poliadis Mineruæ templo multa religione inclyto, in Attica fuisse legimus; in quo virgines assiduè degere, & lychnum inextincti luminis, ac Palladium existere, multorum opinio fuit. Lychnum quoque in arce Athenis Mineruæ consecratum ferunt, quem semel oleo repletum, assiduè lumini alimenta sufficere ad insequentis anni eundem diem, prodiderunt. Ignem quoque peruigilem apud Delphos custodiri à mulieribus, quæ matrimonio solutæ erant, inuenimus: vbi siquando extinguebatur, ex Solis flamma peregrinum elici oportebat. Persæ quoque ignem habent

Vestales à Numa institutæ.

Virgines in Mineruæ templo.

Lychnus Athenis.

Ignis peruigil apud Delphos, Persas, Chaldæos, Medos & Assyrios.

peruigilem, sicut Chaldæi, Medi & Assyrij, vt deorum maximum, illique velut sacro numini hostias mactare, & sacra facere, atque ex illo euenta rerum interpretari assuerant: apud quos Dianæ Ecbatanæ templum fuit, quam *Anatim* vocant, cuius sacerdotes procul à virili contagio in perpetua virginitate degunt. In Britannia quoque Mineruæ numen colitur, in cuius templo perpetui ignes nunquam canescere in fauillas, sed in saxeos globos vertiferebantur.

Diana Ecbatana sacerdotes.

Britanni.

Vestales in templo Vestæ.

Hæ autem virgines in templo Vestæ, quod formâ circulari fuit, inter Capitolium & Palatium morabantur assiduè, ad quod ingredi interdiu vetabatur nemo: sub noctem verò adire, præ pudore, masculo non licebat, fœminæ verò fas erat. In quo nulla Vestæ effigies aut simulachrum deæ cui immolarent visebatur, quia Vestam nihil aliud quàm animum & diuinum putarunt ignem, quæ diuina mens animo concipitur, oculis non videtur: Sicut Corinthi ædes Parcarum, Cereris, & Proserpinæ, nulla habere simulachra dicuntur. Tametsi Vestam, virginis ore tympanum gestantis, quòd ventos contineat, nonnulli effinxere: cuius aditum ex fonte Camœnarum Vestæ consecrato,

Vestæ nulla effigies.

In Parcarum Cereris & Proserpinæ ædibus nulla simulacra.

secrato, ex Numæ legibus, vestales spargere assuerant.

In Vestæ templo senatū cogi non licebat.

Quod quidem minimè inauguratum fuit, nequando in eo senatus cogeretur: ideo non esse templum aliqui existimarunt: licet in atrio Vestæ quod à templo seiunctum erat, quandoque haberi senatum videamus. Quibus virginibus, ne sacra intermitterent, stipendium de publico statuit. Eas enim quatuor à principio fuisse tradunt, quarum nomina Gegamia & Beremia, deinde Gamilia & Tarpeia, primùm à Numa initiatæ, & post Numam à regibus ad sacerdotium addictæ. Lapsis inde temporibus, quum populus in sex partes diuisus foret, vt pro eo sua quisque parte ministram haberet sacrorum, duas additas fuisse ferunt, donec aucto & propagato imperio, collegium Vestalium ad vigenarium numerum constitutum fuit: quibus quæ præsidebat, dicebatur Maxima.

Quatuor primùm Vestales, deinde sex, tandem viginti.

Etiam inuitæ adhoc sacerdotium cogebantur.

Has ergo arbitrio decretoque pontificis max. ingenuas, & libero patre genitas, etiam nolentes & ab inuitis ad sacerdotium cogi compertum est, eas præcipuè, quibus summa integritas, pudor & virtus foret, nisi flaminis, pontificis, auguris, aut quindecimuiri sacris faciundis, tubicinisve sacrorum, vel septemuiri

epulorum, aut salij filia foret. Horum enim filias, inuitas & detrectantes ad sacerdotium cogi non posse, neque cuius pater tres aut suprà filios non haberet: neque illam, cuius soror Vestalis fuisset capta, pontificum decreto cauebatur: neque illas, quarum mater cum viro dissidium fecisset, neque in eodem coniugio maneret. Quarum si qua mortem oppeteret, in demortuæ locum aliam capi oportebat: sed nec minor sex, neque decem annis maior capi poterit, quæue patrima & matrima non esset, neque ea quæ aliquo oris aut sensus vitio laboraret. Quæ dum capitur à pontifice max. non suo nomine, sed *Amata* appellatur, omen veteris denominationis sequuti. Siquidem quæ prima Vestalis capta fuit, hoc nomine fertur nuncupata.

Amata nomen Vestalibus impositum.

Munus Vestaliū. Hemos Vestalium.

Quibus quidem ad sacerdotium admissis, assidua insidens cura inerat ignis sacri & æterni, qui in penetralibus Vestæ in fictilibus vasculis seruabatur, quasi cœlestis arcani custodiam & curam fidelem per vices agerent ignemque seruarent. Quibus etiam propter sanctitatem & continuam virginitatem, tantus est honos habitus, vt velut sacrosanctæ, ab omni virorum contagio intactæ

tactæ forent, aduersusque eas, aut decreta iussusque earum, nulli magistratui intercedendi facultas erat. Quibus hoc etiam tributum est, vt licet essent sub patris iure, postquam ad sacerdotium adscitæ sunt, sui iuris effectis, testandi manumittendique etiam sine curatore libera facultas foret. Ipsæ tamen intestati hæreditatem adire, aut bonis succedere, vel ipsis intestatis hæredes aliqui esse nequibant, quod veteri scito apud Labeonem cauebatur. Cumque soli Theratiæ Vestali, priuilegio honoris, ius testimonij dicendi à populo datum esset, hinc effici colligique potest, reliquas testimonij ferendi ius non habere: eas tamen quum testimonium dicebant, iudicio & foro adesse oportebat. Tum siqua dissidia & simultates, vel aliquæ exortæ offensiones fuissent, aut seditio intestina coorta inter ciues, vt Vestalibus intercedentibus & deprecatricibus, & quasi internuncijs, pacis fœdera inirentur, illarum curæ mandabatur: hisque medijs & procurantibus offensarum culparumque venia impetrabatur. Testamenta quoque, & quæ secretioris consilij erant, quæue quis celari, & in abdito esse, & suo tempore in lucem promi volebat, apud illas deponeban-

Theratiæ vestalis ius ferendi testimonij.

Alia vestalium munera.

nebantur, vt in fideli custodia essent. Quibus, postquam in sacerdotium adscitæ fuerunt, triginta annorum castitas præscripta fuit. Primò enim decennio quæ ad cultum & arcanas cæremonias, rituſque sacrorum spectarent, quæve vetustissimis carminibus & monumentis prodita erant, ediscebant: secundo verò, quæ didicere, opere complere & efficere: tertio autem decennio, sacra & instituta, rituſque & cæremonias quas didicissent, alias edocere oportebat. Tunc demum exacto circulo annorum triginta, velut emeritis stipendijs, liberum erat vel sacerdotio solui, & aliam vitam nanciſci, vel si volet, alij nubere, & filios educere, aut sacrorum curam gerere, & eodem cultu ornatuque esse non vetabantur.

Triginta annorum castitas Vestalibus præscripta.

Tantæque dignationis fuere, vt si extra atrium Vestæ prodire vellet, nisi præcedentibus fascibus ob honorem sacerdotij, foras exire non liceret. Tum si vi morbi aut necessitate, templo excedebant, quò venerationis plus ineſſet, matronas & grandes natu matres, insignes morum verecundia & probitate, quæ eas comitarentur & custodirent, adhibebant: cui ad omnem occurſum, etiam consules prætoreſque, de via

Honos Vestalibus exhibitus.

decede-

decedebant. Quòd si dum foras vadunt, ad capitale quisquam supplicium traheretur, si obuiam fieret ipsum tunc mortem oppetere, aut nouissimo exemplo affici non decebat. Tantoque cultu & honore ob sanctitatem sacerdotij habitæ sunt, vt seruitia fugitiua nondum vrbem egressa, in loco precationis retinerent, & seruitute eximerent. Ad se quoque fugientes, ab iniuria prohibere, atque à cuiusque magistratus imperio intercedere poterant: ab eisque quum sacrosanctæ forent, aut decreto iussuque earum, nulli magistratui, nec trib. pl. qui pariter sacrosanctus est, prouocare permissum: tantumque illarum iussui virium & roboris fuit, vt Claudia vestalis patrem iniussu populi triumphantem, ne cui tribuno intercedere liceret, ascenso simul curru, in capitolium sequuta fuerit.

Vestæ ignis extinctus prodigij locobabitū.

Quod siquando Vestæ ignis (cuius præcipuam ducebant curam) extinctus foret, id inter non minima prodigia habitum magna semper mercede expiatum fuit: quippe ex eo formido, & non mediocris terror religioque senatui populoque incussa erat: illisque non procuratis, aut dijs non propitiatis, à rebus agendis grauibusque negocijs haud secùs

secùs abstinebant, quàm si dira & tetra prodigia, aut portenta calamitosa prædicta forent. Ea verò Vestalis, cuius custodia fuerat, ob socordiam, sicut ob alia crimina à pontifice maximo, qui eas fideli custodiâ seruabat, flagro plectebatur. In abdito enim conclaui & penitus abstruso loco, eam obtento linteo flagris plectebat. Ignem verò extinctum ita suscitabat, vt vas æneum pellucidum trium angulorum, ad solis iubar obijceret, ita vt vndique accensus in orbem coiret: illudque vsqueadeo diuerberaret, donec conceptum ignem arida materia clibano in ædem ferret. Quem quidem nouum accendere calendis Mart. quibus principium anni agebatur, quotannis solitæ sunt. Fuitque is ignis perpetuus in penetralibus sacris, & penu Vestæ, velut sanctiore recessu, conditus, in quo Palladium & dij Penates. Troiâ aduecti fatale pignus imperij colebantur, ad quod nulli hominum, nisi Vestalibus & pontificibus adire fas erat. Qui quidem dij fuere duo iuuenes veteris artis & operæ, paruis imagunculis sedentes, & militari more pila tenentes: tametsi Palladium ab Ænea aduectum, nonnulli Apollinem & Neptunum ferant: alij Troianum Palladem

Vestalis cuius incuria ignis extinctus, flagris cæsa à pontifice.

Ignis Vestæ resuscitandi ratio.

Palladium & dij penates in vestalium custodia.

Romæ

Romæ & Lauini, Luceriæ & Siritidæ demonstrari tradunt: qui ab Ænea in Italiam allati, Lauini mansere primùm, mox ab Iulo in Albam à se conditam translatos, pristinam Lauini sedem suâ sponte repetisse dicunt.

Vestalium ornatus in sacrificando.

Quod siquando vestales sacra dijs libarent, aut Vestæ rem diuinam facerent, eo cultu ornatuque erant, vt licet vittatæ incederent, album tunc vestimentum, quod *suffibulum* vocant, oblongum prætextum quadrangulum in capite sumerent: illudque fibulâ subnecterent, castâque molâ & sale tuso, ac in ollam fictilem misso, & mox in aquam iniecto, sacra facerent, calicibusque fictilibus, qui cululli dicti sunt, vestæ & dijs libarent: Sirpeasque effigies triginta numero, quas Argeos vocant, ex virgulto statis diebus in Tiberim deijcerent, arasque deorum numinibus, accenso foculo, dicarent: quibus *hoc proprium ferunt, vt defectum* CAPILLVM *tanquam* SACROSANCTVM, *vulgo atteri non sinerent: sed in loto arbore conspicuæ magnitudinis, quæ in Lucinæ ara colebatur apponerent, cui ob id* CAPILLATÆ *nomen*. Tum siquando sacramento adigebatur, nisi per suam Vestam iurare licebat. Eratque Vestalium opus, annis singulis stata die regem sacrorum

Suffibuli. Sacrificij modus.

Sirpea effigies in Tiberim deiecta.

Lotus capillata.

Vestalium instituendum.

crorum adire, vtque vigilaret, neve diuina intermitteret, præmonere præcauereque.

Munus aliud Vestalium. Honos.

Tantæ dignationis & pudoris habitæ sunt, vt his præsentibus tanquam arbitris numinibus, non factis modò, sed & verbis obscœnis & prætextatis abstinerent: easque velut augusta & sancta templa, atque *vnicum castitatis exemplar*, religiosè obseruarent. Et tametsi tanti exempli & disciplinæ forent, illas tamen athletarum

Spectaculis admissa.

spectaculis & theatro interfuisse quandoque legimus, scilicet remisso officij munere, de concilij sententia.

Vestalis incesti conuicta pœna.

Siqua verò detestabili scelere polluta, omnium sententijs pontificum incesti conuicta & damnata foret, in eam manus aut vim inferre nulli licuit: sed postquam familiam in potestate habere, & sacris abstinere iussa fuerat, stata die sub effossa humo ad portam Collinam, in loco cui *Scelerato* nomen, viuam defodiebant: virginis verò stupratorem in comitio cædebant ad necem.

Stupratoris pœna.

In ea enim subterranea erat fouea, ad quam gradibus descensus, & in imo *lectulus*, *lucerna ardens*, *panis* simul & *lac*, item *aqua*, & in gutto *oleum*; virginem verò damnatam, demptis vittis è vertice, feretro impositam, cultu miserabili,

rabili, maximo omnium horrore, eò deducebant: quo vbi deducta fuerat, vinclis solutam pontifex maximus solenne præfatus carmen, *capite velato*, ad ostium foueæ constituebat: & postquam introgressa fuerat, illo auerso, & scalis sublatis, desuperque aggestâ humo, defodiebant viuam, ita vt ab omni hominis tactu illæsa extingueretur. Qua die tanquam lugubri & ominosa, consternata vrbe, velut si repentinum incommodum accidisset, iustitio indicto, nihil publicæ magnæque rei agere licebat. Tanta videlicet cura, tãtaque solicitudine prisci cauebant, ne qua in sacerdotes & *deo dicatas virgines* vis fieret.

Vestales incesti dãnatæ.

Fuere autem vestales incesti damnatæ inter alias, Popilia, Æmilia, Oppia, Fabia, Minutia, Sextilia, Opimia, & Fleronia, inter quas Caparonia suspendio supplicium præuenit: Fabia verò incesti causam dixit, cum ei Catilina obijceretur, & quia soror Terentiæ Ciceronis erat, inducto crimine absoluta fuit. Cornelia Maxilia absens & inaudita à Domitiano incesti rea, quum esset absoluta, non admissi forsan criminis, prauo iudicio pœnas dedit. Cumque Vrbina falsi criminis virgis cæsa & viua defossa fuisset, religio vrbem peruasit, imme-

Quæ absolutæ.

Innocẽtes cõdẽnatæ.

immeritam pœnam luisse, quod pestilenti contagio matronæ mortuos edebant partus, ipsæque vnâ interibant, ob id admissum plecti, & meritâ noxâ puniri. Posthumia verò ob mundiorem cultum, criminis insimulata, causam dixit: mox sine noxa & innocens comperta, de collegij sententia omnium votis absoluta fuit. Hactenus Alexander ab Alexandro.

Lib. 5. c. 12. Gen. diet.

CAPVT VII.

Romani mœrentes olim capillum & barbam demittunt: barbari contra demetunt & dimittunt.

CVr verò apud Romanos in luctu maximo, capillum barbamque promittere ac submittere mos fuit? Hâc vnâ causâ, quòd tonso capite & barbâ erasâ solerent incedere; barbari non ita. Vide mihi Imperatorem illum Augustum sui potiùs quàm patrij moris oblitum: *Graues ignominias cladesque duas omninò nec alibi quàm in Germania, accepit, Lollianam & Varianam; sed Lollianam maioris infamiæ quàm detrimenti: Varianam penè exitiabilem, tribus legionibus cum duce legatisque & auxilijs omnibus cæsis. Hâc nunciatâ, excubias per vrbem indixit, nequis tumultus*

Suetonius in Octauio. cap. 23.

tus existeret, & Præsidibus prouinciarum prorogauit Imperium, vt & à peritis & assuetis, socij continerentur. Vouit & magnos ludos Ioui Opt. Max. si rempublicam in meliorem statum vertisset, quod factum Cymbrico Marsicoque bello erat. Adeo namque consternatum ferunt, vt PER CONTINVOS MENSES BARBA CAPILLOQVE SVMMISSO, *caput interdum foribus illideret, vociferans: Quinctili Vare, legiones redde: diemque cladis quotannis mœstum habuerit ac lugubrem.*

Augustus capillos barbamque summittit, acceptâ clade Varianâ.

Quid quòd Iulius Cæsar Galliarum nostrarum prædo nobilis, alios vincere potens & adsuetus, adeò mœrore & cordolio victus legitur, *vt audità clade Tituriana,* BARBAM CAPILLVMQ. SVMMISERIT, *nec ante demiserit, quàm vindicasset?* Sed iam barbaros alio planè ritu fortunam nouercantem excipientes dispiciamus.

Idem facit Iulius.

Suet. in Iulio cap. 67.

CAPVT VIII.

Barbaris capillum ponere in signum luctus, olim solenne.

ARgiuos certè mæroris caussâ capillos deposuisse, testatur Herodotus. Adfirmat idipsum Lucianus de Syris, qui funera

Herodot. lib. 1. hist. Lucian. de Dea Syria.

funera RASO CAPITE celebrarent. Suetonius etiam adfectum non modò populi Romani in viuentem Caligulam, sed & barbarorum beniuolentiam in eundem demortuum graphicè describens: *Sic*, inquit, *vulgo fauorabilis, vt plurimi tradant quoties aliquò adueniret vel ſicunde diſcederet, præ turbâ occurrentium proſequentiũue nonnumquam eum diſcrimen vitæ adiſſe, &c.*

Sueton. in Calig. cap. 4. & 5.

Tamen longè maiora, & firmiora de eo indicia in morte ac poſt mortem extitêre. Quo defunctus eſt die, lapidata ſunt Templa, ſubuerſæ Deûm aræ, Lares è quibuſdam familiares in publicum abiecti, partus coniugum expoſiti. Quin & BARBAROS *ferunt quibus inteſtinum aduerſus nos bellum eſſet, velut in domeſtico communique mœrore, conſenſiſſe ad indutias.* REGVLOS *quoſdam* BARBAM POSVISSE *&* VXORVM CAPITA RASISSE, AD INDICIVM MAXIMI LVCTVS: *Regum etiam regem & exercitatione venandi, & conuictu megiſtânum abſtinuiſſe, quod apud Parthos iuſtitij inſtar eſt.*

Reges barbari barbas deponunt & Reginæ capillos, mortuos Caligulâ.

De Scythis habes apud Herodotum, qui *in funere Regum aurem decidunt,* CRINEM CIRCVMTONDENT, *brachia circumcidunt, ſiniſtram manum ſagittis traijciunt.*

Herod. lib. 4.

Argiui cum antea criniti eſſent, victi à La-

Argiui victi capillũ ponunt.

à Lacedemonijs, amissis Tyrijs, deplorandi casus caussâ, CAPILLOS TOTONDERVNT, vouentes se non resumpturos nisi Tyrias recepissent. Sic & Sibari à Crotoniatis direptâ, vniuersi Milesij CAPITA DERASERVNT & ingentem luctum ediderunt. Viuum adeò Cordolij symbolon fuit inter barbaros decaluatio & menti depilatio.

CAPVT IX.

Feminæ Romanæ & Barbaræ capillos in luctu funesto deponunt & sepulchris superponunt. Lex XII. Tabularum discussa & explicata.

QVam dispare cultu suos luxere Romani & Romanæ! viri, quod vidimus, capillos demittunt, fæminæ dimittunt eosque vel rogis imponunt vel sepulchris adponunt. Statius auctor Patrius, libro quinto, Epicedio in patrem ita canit:

Excere semirutos subito de puluere vultus
Parthenope, CRINEMQVE, *efflato monte*, SEPVLTI
PONE SVPER TVMVLVM. Statius lib. 5.

Quis autem hic *adflatus mons*? an Vesuui iugum? torqueri sanè huc posset: sed magè veriùs scripsisse Statium *afflatâ mente*. quod attonito dolori bene conuenit, *Statius emendatus.*

ſicut & crinium illa poſitio in ſepulchro; de quo lugubri ritu Ouidius item in Faſtis:

Ouid. in Faſtis.

Mixta bibunt molles lachrymis vnguenta fauillæ,
Vertice *libatas accipiuntque* comas.

Seriò nobis hîc perueſtigandum videtur quo ſenſu edictum fuerit illud interdictum. Legis XII. Tabularum:

Lex XII. Tabularũ diſcuſſa & explicata.

Mvlieres genas ne radvnto.

Error Adriani Iunij comment. de coma ca. 2.

Adrianus Iunius docet eâ lege cautum fuiſſe, mulieres genas non radere, ne diutino radendi vſu, ſuccreſcentibus pilis à natura non datis, ſub mentito virilis oris honore fallerent. Sed quantũ fallatur Iunius, nouit quiſquis rerum antiquarum curioſus indagator aliquid in eis nouit. Barbatas quidem feminas videre, non modò ſecula nupera, ſed & ætas noſtra; quarum vna Antuerpiæ cognita barbam perprolixam geſtitans: quam, an diutino radendi vſu, inuitæ Naturæ extorſerit, non diſquiro, cùm ad legem noſtram de genis mulierum haud radendis nihil prorſus adtinere videatur.

Seruius in illud Æneid. 12. Et roſeas laniata comas.

Verè Seruius moris fuiſſe docet, vt ante rogos humanus ſanguis effunderetur, vel captiuorum vel gladiatorum: quorum ſi fortè copia non fuiſſet, laniantes genas ſuum effundebant cruorem, vt illa imago ro-

go rogis restitueretur. Malè tamen verba legis citauit ibidem Seruius, dum legit:

Mulier faciem ne carpito. Seruius leuiter correctus.

Pro:

Mulier genas ne radito.

Quamquam autem vetitum id esset, lege XII. Tabularum, tamen factum fuisse, etiam Varronis temporibus, docet ex Seruianis schedis Iosephus Scaliger, in suis ad Festum castigationibus: vbi eas adnotauit genas vnguibus laceraſſe, vt ostenso sanguine satisfacerent inferis. Huc respexit Virgilius Annam Didonis fata deplorantem exprimens:

Vnguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis. Virg. lib. 4. Æneid.

Et Ouidius: Ouid. lib. 3. Triſt. Eleg. 3.

Parce tamen lacerare genas, nec scinde CAPILLOS;

Non tibi nunc primùm lux mea raptus ero.

De barbaris item feminis capillum ponentibus dixi superiùs ex Suetonio docente, *Regulos quosdam barbam posuisse &* VXORVM CAPITA RASISSE *in indicium maximi luctus*, quem defuncto Caligulâ contraxisse videri volebant. Suetonius in Caio Caligula cap. 5.

CAPVT X.

Capitis abrasio sceleratorum pœna apud Romanos. Illa etiam multimoda & varia. Apollonius Romæ rasus ab Domiciano & quâ causâ atque exitu.

QVem alium huius rei testem appellabo, quàm ipsummet eloquentiæ Romanæ patrem, contra leuissimum quendam hominem, qui sibi caput raserat, sic linguæ suæ tela vibrantem?

Cicero pro Roscio Comœdo.

Nonne ipsum caput & supercilia illa penitus abrasa, olere malitiam, clamare calliditatem videntur? Et inferiùs paullò: *Qui idcirco capite & supercilijs semper est rasus, ne vnum pilum boni viri habere dicatur.*

Cyprian. Ep. 77.

Cyprianus tamen ad metalla damnatos, *Semitonsos capite* fuisse narrat, capillo horrescente.

Vnde adparet abrasionem illam criminalem diuersi generis fuisse nec vniformem. Certè enim præter antefatas alia erat cuius meminit Lucianus describens ingressum in conuiuium deformem quendam DERASO CAPITE, PAVCVLOS CAPILLOS IN VERTICE gestantem, eosque CRISTÆ in morem erectos.

Lucianus in conuiuio item in Epist. ad Saturn.

De

De Apollonij tonsura fusiùs hæc subiungo: Anno Domini XCI. Aurelio Fulvio & Sempronio Atracino Coss. Domitianus ab expeditione Dacica reuersus, gladium in ciues conuertens, plures interfecit, & plerosque in exilium misit. Hos inter Cocceius Nerua fuit, eidem postmodum in Imperium successor: Cuius partibus cùm fauere diceretur Apollonius, Romam vocatur reus, quasi vaticinaturus defuturo Neruæ Imperio, puerum ad concilanda sibi numina interemisset.

Apollonius Philosophus ad ignominiã tonsus.

Veniens ille in vrbem ab Æliano vrbis præfecto eius quondam in Ægypto familiari comiter exceptus est: nam pro munere magistratus, eum non nisi laxiori carcere adstringi voluit. Perductum verò ad aulam Domitianus COMA BARBAQ. eorum se, contemptus caussâ, radi ac inter sceleratos vinciri iussit. Qui enim in Philosophos bellum iurasset, quod Philosophiam ostentantium videbatur insigne, amputari illi in primis mandauit. Nihil autem Philosophis indignius accidere posse, illud ab Horatio in Damasippum Stoicum imprecatum demonstrat:

——Dij te, Damasippe, deæque,
Verum ob consilium donent tonsore.

Hor. Sermon. 1. Sat. 3

Sic igitur Apollonius barbâ glaber & nudpilus, è carcere vocatus iterum, &

Apollonius Magus. cauſſam ſuam agere iuſſus, poſt habitam defenſionem cùm eum inuitum Domitianus retinere vellet, inuiſibilis illicò factus euanuit, & Puteolis vbi Socij aperiebantur, improuiſus apparuit, non auxilio Deorum (vti profitebatur) at magiâ.

Cæterum, quia de Tianæo illo nago, barbæ depoſitionis eius occaſione, dicere ſemel inſtitui, occeptam narratiunculam ſanè ſtupendam paucis proſequar etſi à *capillis*, multos pilos diſcedamus. Itaque magus ille pernobilis, anno Domini LXXXIX. Epheſi concionem habebat ad populum, eo ipſius horæ punctiſtitio, quâ Stephanus *Nota vim Magiæ.* Clementis libertus Domitianum gladio adgreſſus ſeſe non fruſtratis ictibus defendentem Romæ occidit.

Aderat Apollonio concionem facienti frequens populus, cùm ecce *media* Philoſt. lib. 8. *in oratione*, ait Philoſtratus, *nouum quid & incredibile occurrit. Nam concisè magis quàm conſueuerat, verba proferens, tandem quaſi horum quæ dicere vellet, oblitus, conticuit, toruis oculis in terram adſpiciens. Tres inde aut quatuor paſſus è loco vbi conſtiterat progreſſus; Percute tyrannum, percute tyrannum, clamabat: non vt qui è ſpecul ve-*

ritatis

ritatis imaginem traheret, sed qui res ipsas ante se fieri videret & auxilium afferre conaretur. Cùm stuperent Ephesij qui frequentes aderant; subsistens Apollonius, sicut facere solent qui rem aliquam, dum fit, videntes, quo tandem euasura sit expectant: tandem; Confidite, inquit, ô viri: Tyrannus namque occisus est hodie, quid autem dixi hodie? imò potiùs hoc ipso temporis momento, ita me Pallas adiuuet. Cumque illum insanire putarent Ephesij, cuperent tamen vera esse quæ diceret, sed propter periculi magnitudinem talibus verbis aures præbere metuerent: Non miror, inquit Apollonius, vos mihi non adhibere fidem, iam nunc ea narranti apud vos quæ nondum omnes qui Romæ sunt cognouere, sed iam ecce cognoscunt. Verum de mago tonsò plus satis.

CAPVT

CAPVT XI.

S. Joannes Euangelista num forsitan adtonsus? Item an dolio, vel potius solio olei impositus à præfato Domitiano?

De Pseudo-prochori fide.

SI qua fides Apocrypho censetur adhibenda, legimus in Pseudo-prochoro, Ioannem Euangelistam iussu Domitiani, ignominiæ caussâ adtonsum esse. Quod ne mirum adeò videri possit, faciet capite proximè sequenti, Cyprianus agens de damnatis ad metalla. Apollonius Tyanæus Philosophus ab eodem Domitiano tonsus, idipsum alijs à tanto tyranno fieri potuisse haud diffitebitur. Baronius certè factum id fuisse adseuerat: & de Prochori fide agens infit: *Inter alia ab eodem auctore relata, verum illud esse credimus, quod ait, iussum esse à Domitiano* IOANNEM *ignominiæ caussâ* TONDERI. *Sed & illa etiam certa veraque esse noscuntur quæ idem auctor scribit, Ioannem immissum esse in feruentis olei dolium, siue potius* SOLIVM; *nam eiusdem veritatis grauissimi sunt adstipulatores.*

Baron. an. 92. num. 2.

De solio S. Ioannis, quod appellant *dolium.*

Quid autem SOLIVM illud fuerit cùm non interpretetur Annalista, paucis edisseram,

seram, varias eiusdē significationes in medium producens. *Solium* igitur sella fuit in quâ Reges iura suis dicentes sedebant; dictumque volunt quasi *solidum*: quia reges olim in thronis ligneis & quibusdam quasi armarijs, pro corporis sui tutamine, sedere soliti. Alij tamen inde dictum malunt, quod *soli* in ea sederent.

Apper κατ' αντίστοιχον appellatum putat, quasi *sedium*; quemadmodum & *sella* dicta est, quasi *sedda*. Nonnunquam etiam *solium* dicitur loculamentum sepulchrale, in quod conduntur mortui. quâ significatione Plinius: *Quin & defunctos sese multi fictilibus* SOLIIS *condi maluêre*. Et Curtius: *Septimus dies erat ex quo corpus Regis iacebat in* SOLIO. Plinius. Curtius.

Quandoque pro vase saligno vel abiegno positum solium reperies, quo vtimur ad vinum plurimosque liquores transferendos, & ad pannos lineos cum lixiuio calido & cinere emaculandos. Quid si eiusmodi vasi oleo feruente pleno, impositum Ioannem dicamus? potest quidem; ast eâ, quam dicturus sum significatione, *solium* hoc acceptum malim: Est enim etiam *solium* vas quoddam balneantium vsibus deputatum, in quo sedentes lauabantur.

Non

Martialis. *Non vis in* SOLIO *prius lauari?*

Suet. in Aug. Suetonius etiam Augustum describēs: *Quoties neruorum caussa, marinis albulisque calidis vtendum esset, contentus hoc erat, vt insidens ligneo* SOLIO *(quod ipse Hispanico verbo duretam vocabat) manus ac pedes alternis iactaret.*

Vides *solium* in balneis: eò tractum Euangelistam nostrum arbitror, & in *solio feruentis olei* sedere iussum.

Celsus. Quid, inquies, oleo cum sede? Hoc est rogare: quid balneis cum aqua fuerit. Celsum audiamus & hominem in *solio* etiam resupinum legamus: *Interpositis duabus horis in* SOLIVM *is aquæ calidæ resupinus demittendus, sic vt à genibus ad vmbilicum aquæ pertingat.*

CAPVT XIII.

Rei, causſam Romæ dicturi, capillum barbamque promittebant.

ROmanorum hunc morem quis veriùs enucleabit quàm auctores & patrij & coætanei? Prodit ecce nobis Plinius Secundus, qui ab amico suo Sura curiosè scisitatus, quid de phantasmatibus spectrisque noctiuagis sentiret, domesticum exemplum subiungit liberti

liberti sui hominis non illiterati, quocum dormiebat eodem lecto frater eius minor: *Is visus est sibi cernere quendam in thoro residentem admouentemque capiti suo cultros, atque etiam ex ipso vertice amputantem capillos. Vbi illuxit ipse circa verticem tonsus, capilli iacentes reperiuntur. Exiguum temporis medium, & rursus simile aliud priori fidem fecit: puer in pædagogio mistus pluribus dormiebat, venerunt per fenestras (ita narrabat) in tunicis albis, cubantemque detonderunt, & quâ venerant recesserunt. Hunc quoque tonsum sparsosque circa capillos dies ostendit.* Plinius Epist. 27. li. 7. pag. mihi 207.

Nihil notabile secutum, nisi quod NON FVI REVS; *futurus, si Domitianus, sub quo hæc acciderunt, diutiùs vixisset. Nam in scrinijs eius datus à Caro de me libellus inuentus est. Ex quo coniectari potest, quia* REIS MORIS EST SVBMITTERE CAPILLVM, *recisos meorum capillos, depulsi quod imminebat periculi signum fuisse.*

Alter auctor nobis audiendus est Seneca Hispanus quidem origine, sed Romanensis, qui de Sabini acumine sic censuit: *Ab Appio proconsule, cum quo in Cretam Sabinus ierat, in theatro Græci postulare cœperunt vt Sabinus magistratum gereret.* Seneca lib. 4. declam. 4. pag. mihi 681.

Mos

Mos autem est barbam et capillos magistratvi Cretensivm svbmittere. *Surrexit Sabinus, & silentio manu facto: Hunc magistratum,* inquit, *ego Romæ bis gessi. Bis enim* REVS *caussam dixerat. Græci non intellexerunt, sed bene interpretati petebant vt illum honorem Sabinus tertiò gereret.* Iocabatur in miserijs ac periculis suis, in quibus eum iocari non debuisse, quis nescit? potuisse, quis credit? Equidem aduertimus Græcos, sicuti sensu, ita etiam capillo à Romanis longè abeuntes. Ecce enim inter eos Cretenses magnificum ducunt, & gratanter amplectuntur morem, quem Romani non nisi mœrentes aut certè rei.

A. Gell. lib. 3. cap. 4. Noct. Attic. pag. mihi 59.

Ad rhombum porrò nostrum planè pleneque facere videtur Auli Gellij noctis Atticæ subsequēs lucernatio: *In libris quos de vita P. Scipionis Africani compositos legimus, scriptum esse animaduertimus P. Scipioni Pauli filio, postquam de Pœnis triumphauerat Censorque fuerat, eidem diem dictum esse ad populum à Claudio Asellio trib. pleb. cui equum in censura ademerat. Eumque,* CVM ESSET REVS, NEQ. BARBAM DESIISSE RADI, *neque non candidâ veste vti, neque fuisse* CVLTV SOLITO REORVM. *Sed cùm in eo tempore Scipionem minorem XL. annorum fuisse constaret, quod de* BARBA RASA

scriptum

scriptum esset, mirabamur. Comperimus autem cæteros quoque in iisdem temporibus nobiles viros barbam in eiusmodi ætate rasitauisse. Iccirco, pleraſque imagines veterum non admodum senum sed in medio ætatis ita factas videmus.

CAPVT XIV.

De Ergastulis libera ac diffusa Lypsij collectea. Forma moduſque quo miseri illi habiti, nempe vincti, inscripti Semi-rasi, *semi-ieiuni.*

SERVORVM apud veteres varia conditio, multus vsus: sed illa miserrima, quæ ergastulorum carcere incluſa. In quo quid pœnarum, quid sæuitiæ fuerit, planè pleneque hoc Capite ediſſeram: cum gratiâ Lectoris, vt spero, & cum fructu. quia & delectant hæc talia, & mirè illuſtrant certè ſcriptores priſcos.

Varia seruorum genera & munia olim.

Triſtiſſimum Ergaſtulorũ.

ERGASTVLI vox Græcâ origine eſt, etſi nõ flexu. Rectius enim * *Ergaſterium* fuiſſet. quâ voce Iuriſconſulti quidem vſi, ſed alio ſenſu: vti notat dignitate & doctrinâ eximius Barnabas Briſſonius, Galliæ imò Europæ magnum lumen. Sed Romani veteres in his talibus vel liberi ſæpe nimis, vel imperiti. Gloſſę Philoxeni definiunt & crymon

Vnde vox facta? * ἀπὸ τῦ ἐργάζομαι

Quid fuerit, confuſè & breuiter.

etymon simul tangunt aptè: *Ergastulum, τόν & ἐν ᾧ οἱ δεσμῶται ἐργάζονται. Locus in quo vincti operantur.* Vberiùs idem, sed non veriùs, Isidorus: *Ergastula*, inquit, *vbi deputantur noxij ad aliquod opus faciendum, vt solent gladiatores & exsules qui marmora secant, & tamen vinculorum custodijs alligati sunt.* Nam de noxijs primùm, haud vsquequaque verum: quia empti serui innoxij sæpe, solùm ad hoc munus. De gladiatoribus, planè falsum: qui in ludis suis bene & commodè habiti, in ergastulis numquam. Sed nec de exsulibus adsentior: & de marmoribus secandis, pars minima fuit ergastularij laboris. Præcipuus enim finis Agricultio, vt mox dicam. De vinculorum custodijs quæ dicit, vera. non sic tamen, vt duo, tres, serui vincti Ergastulum confecerint: sed certo numero, quem acceptum referes soli Appuleio. *Quindecim*, inquit, *liberi homines, populus est: totidem serui, familia: totidem vincti, Ergastulum.* Quod tamen de pleno legitimoque ergastulo dictum capio: quia aliâs scio pœnalem illum carcerem stetisse numero minore.

Isidori in definiendo peccata.

Quis numerus requisitus ad legitimum Ergastulum.

Quando cœperint.

Habes lineamenta ruditer: colores addam, & Originem, Caussam, Finem, Locum, Homines, Modum ediserám distinctè. De origine, vetera ea esse video: & si

Liuio

Liuio fides, iam inde à regibus exactis. Libro enim secundò quispiam è nexis apud eum queritur: *Ductum se ab creditore non in seruitium, sed in ergastulum & carnificinam esse.* Quod tamen aptius veriusque ex personâ & temporibus Liuij scribi censeam, quàm illius nexi. Vera enim & propria Ergastulorum pœna tunc ignota, vti & nomen ipsum. Hoc sanè concesserim, iam tunc sæuitum in seruos, & velut relegatione quadam missos in pistrinum, in lapicidinam, in agrum: sed nec perpetuùm, nec eâ formâ quæ posteà increuit. Itaque apud Plautum comminationes herorum sæpe tales: ipsa Ergastuli vox tamen irreperta. Quæ propriè nata & ad huius capitis mei sensum, vt censeo, vix ante Gracchorum æuum.

Liuij ambigua & parum canta forsitan dictio.

Serui quidem in agros antiquitus missi, non ad propriè Ergastula.

NATA autem ab hac caussâ. Romani deuictâ Italiâ, ceperant iure belli haud parum suburbani & longinqui agri. Eum vniuersum partim sub hasta vendidêre; partim tenuioribus ciuibus vtendum, fruendum locauêre, exiguo aliquo tributo impositio, siue pensione. Hoc velut præmium ijs militiæ & sanguinis. placuitque res omnibus præter diuites, qui paulatim egenos pellere, & ad se trahere cœperût finitimos quisque agros. Donec Stolonis lex paullisper eos coërcuit, definito quingentûm iu-

Vera origo & tempus.

A multitudine agrorũ, quos diuites tenuere.

Lex de quingentis iugeribus.

gerum modo, supra quem haud fas possidere. Sed coërcuit certè paullisper; rupit enim mox hoc frænum cupiditas, & suppressa auaritia non oppressa caput extulit altiùs, agrosque omnes pretio, fraude, vi, à pluribus traxit ad paucos. Hinc illa diuitũ latifundia: hinc pauperum ab agris exsilia: hinc inductio Ergastulorũ. Vnde enim pauci illi, tot agris colendis? Plutarchus egregiè: *Paulò verò pòst, cùm vicini illi diuites per suppositas personas transferrent conductiones agrorum in sese, & denique palam iam etiam & suo nomine pleraſque detinerent: expulsi pauperes, neque ad militiæ munus alacres se præbebant, neque ad educandos liberos. Ita vt mox Italiam vniuersam infrequentẽ & vacuam liberorum capitum esse contigerit, & ergastulis compleri seruorum barbarorum: per quos diuites agros suos colebãt, ciuibus exactis.* Et eadem ac plura magis diffusè Appianus, in Ciuilium primo: qui ab infelici hoc Ergastulorum fomite ignem deducit Gracchanarum seditionum & belli ciuilis. Cuius verba vberiora, quã vt huc trãsscribam: tu, me indicante, vide omnino & lege. Hæc igitur causſa, hæc origo. nam antè Romani ipsi colebant, & honestissimos quosque ciues scimus habuisse in agris. Columella mutationem eam conqueritur initio operis: *Rem rusticam*, inquit, *pessimo cuique*

Irrita fatã, vi & pernicaciã

Serui Barbari empti ad colendũ agrum. Plut. in Gracchis.

Appiani prudens & digna lectu dißertio.

Ingenui pulsi agris & cultu eorum.

cuique seruorũ velut carnifici, noxæ dedimus: quam maiorum nostrorũ optimus quisque optimè tractauit. Nec Lucanus veritus eã ponere inter causſas intimas imperij ruẽtis, li. 1.

Hæc inter causſas lapſi imperij verè posita à Lucano.

Paupertas fugitur, totoque arceſsitur orbe
Quo gens quæque perit. tunc longos iungere fines
Agrorum, & quõdam duro ſulcata Camilli
Vomere, & antiquos Curiorũ paſſa ligones,
Longa ſub ignotis extendere rura colonis.

Nam ignotos hos Colonos nõ alios poëta (poëta enim certè mihi, & quidẽ bonus) intellegit, quàm hos in ergaſtulo ſeruos, alienigenas plerumque & à longinquo cælo.

Ex cauſsâ autem nõ ignotus Finis. Agri enim cultio præcipuè fuit, vt vides. Ideo Lucanus:

Finis ergaſtulorum, agricultio maximè.

——*vincto foſſore coluntur*
Heſperiæ ſegetes. ——

Ideo Tertullianus alluſione doctâ: *Adã in ergaſtulũ terræ laborandæ relegatus.* & teſtimonia pluria: quæ variè aſperſi infra. Præcipuus, dixi, finis: nam ergaſtula non rarò etiam ad aliud opus. ad molẽdum, ad lapidem cædendum, aquam hauriendam: & quidquid tale. De molis aut piſtrino, in comœdijs creberrimum; & exemplum diſertum in Appuleij lib. IX. quæ verba oportunius item reddo infrà. De lapidarijs, ecce etiam veteri æuo Plautus, in Captiuis:

Etiam molitura.

Etiam lapidum cæſura.

ducite

Vbi ponderosas, crassas, capiat compedes.
Inde ibis porrò in latomias lapidarias.

Et eâdem fabulâ, paulò posterius:

Iubete huic crassas compedes impingier:
Inde extra portam ad meum libertum Cordalum
In lapicidinas facite deductus siet.

Etiam aquæ haustio fortasse.

Et de aquâ haurienda, velut in pœnam, tangit aliquid idem Comicus, in minis Olympionis villici aduersus Chalinum, in fabula Cassinâ:

Post id locorum, quãdo ad villam veneris,
Dabitur tibi amphora vna & vna semita,
Fons vnus, vnum ahenum, & octo dolia:
Quæ nisi erunt semper plena, ego te implebo flagris,
Ita te aggerundâ ceruum aquâ faciã probe,
Vt postilena possit ex te fieri.

Plautus obiter correctus.

In quo penultimo versu alij *curuum*, pro *ceruo* substituunt: nos *cernuum* magis rectum censemus. Credam autem aggestionis & egestionis huius aquariæ magnum vsum imò necessitatem fuisse, siue in lapidum siue in metallorum fodinis: ideoque huic etiam muneri dãnatos seruos. Id

In antliam damnari, quid? Suetonij locus expensus.

Suetonius appellasse videtur: *In Antliam damnare*: loco qui iamdiu à Criticis vexatur, & inuicem eos vexat. Tiberij cap. 11. *Testamentum matris pro irrito habuit, omnesque*

neſque familiaritates & amicitias, etiam quibus ea moriens curam funeris demandârat, intra breue tempus adflixit: vno ex his equeſtris ordinis viro & in Antliam condemnato. Proba enim & rectâ mihi verba: quique Anticyram, Andiam, aut nomen inſulæ ſubſtituunt, quî audiam? cùm Suetonius vt nouum & inuſitatum in viris ſplendidis aut ingenuis narret, ad vile hoc & ſeruile munus equitem damnatum. At de inſulis, receptum ſanè in Senatoribus ipſis ſcimus, & iamdiu tritum. Antliam igitur teneo, & ſuccuſſione virorum doctorum vacillantem firmo nouo & robuſto fulcro: quod petitum mihi ex Artemidori Somniorum ſilua. Scribit libro 1. cap. 1. *Noui quemdam, qui viſus ſibi reliquo corpore omni immoto, pedibus, tantùm laborare: nec progredi hilum, moueri tamen. euênit, vt in Antliam damnaretur. Nam exhaurientibus hoc vſu venit, diuaricare quidem vt ingredientes ſolent, manere tamen in eodem loco. Item alius, viſus videre à pedibus ſuis defluentem aquam. is quoque in Antliam damnatus eſt, facinorum cauſsâ.* Quæ verba firmant prorſus hanc lectionem & damnandi morem: etſi ea interpretari vel de ſentinâ nauis exhauriendâ (id enim Græca vox quoque ſonat) aptè poſſis: vel de Antliâ, quæ non tam vas, quàm inſtrumentum ad hauriendum: ſiue

Reiecta Criticorũ emẽdatio.

Petita ab Artemidoro lux.

Duplex ſententia ad Antliã damnatorum eſſe poteſt.

aquaria quædam machina, quæ pedum nisu & agitatu, aquas attolleret per modiolos atque haustra. Cuius generis etiam hodie in vario vsu. Martialis:

Curta laboratas Antlia tollit aquas.

Sed abstineo ab excursu, & finio hîc de Fine.

Locus videndus est, etsi adspectu nō suauis. Is non in opidis, sed in villis, & quidē subterraneus fuit, depressus, sedibus & angustis fenestris distinctus: prorsus ad carceris formam. Itaque iure Iuuenalis sic appellat:

Ergastula rure.

——*inscripta ergastula, carcer Rusticus.*

Et instar carceris fœdi.

Et Liuius eidē equiparat, verè, nō oratoriè, de T. Manlij filio: *Quē pater in opus seruile, propè in carcerē atque in ergastulum dederit.* Columella eū exædificat & describit, vt rē cumprimis villæ necessariā, lib. 1. cap. v. *Solutis seruis*, inquit, (nota autē discrimē seruorum in villis duplex, Solutorum & Vinctorum: quorum hi in ergastulis) *cellæ meridiem æquinoctialem spectantes fient: vinctis, quàm saluberrimum subterraneum ergastulū, plurimis atque ijs angustis illustratū fenestris, atque à terrâ sic editis ne manu cōtingi possint.*

Parua atque alta fenestra in hoc puteo.

Idem cōtra fugam munitus.

Et probè eū munitū fuisse contra rupturam aut elapsum, idē ostēdit ca. VIII. vbi officia domini describēs. *Illa solemnia sunt*, inquit, *vt Domini, ergastuli mancipia recognoscant.*

vt

vt explorent nũ diligenter vincta sint, an sedes ipsæ custodiæ satis tutæ munitæque sint. Sed quod in priore loco clarè tradit de Ergastuli fenestris: mirũ ni clarorẽ aliquẽ Plauti vmbroso loco adferat. apud quẽ Cassinâ Olympio ille ferox dira multa interminatur riuali suo, mox scilicet in villã, cui ipse præfectus, relegando. Atq; inter alia addit,

Plauto fortasse lux, si non ambitiosè nimis quæsita.

Noctu vt condignè te cubes curabitur.
CH. *Quid facies?* OL. *cludere in fenestram firmiter,*
Vnde auscultare possis cũ ego illanc osculer.

Nam vt de cubiculari aliquâ fenestrâ accipiam, in quam ille cõpingendus, prohibet me sententiæ nescio quod frigus. Magis de ergastulari istâ: quia de die emittebantur carcere illo ad opus scilicet, pedibus tamẽ vincti: noctu huc immittebantur iterum, arctiùs astricti. Sed argutor fortasse nimis: illud certius addo. Præfectum fuisse suum huic carceri, qui Ergastularius Columellę dictus. Et rectè, atq; ad normam. Nã quod Nonius suadet ex Lucilio, Ergastulum dictum fuisse istunc custodem pœnalis loci; straba illi mens, vt sæpe. Nec enim aliud ibi Ergastulus, quàm ipse qui in pœnâ & in noxâ: seruus inquam, non custos. Colligas facilè ex verbis, quæ tamen apud Nonium corrupta: *Ergastulum*, ait, *& Ergastulus, vt genere ita & intellectibus differũt.*

Præfectus Ergastuli.

Nonij aluci-natio.

Ergastulus prisci, ipse seruus Ergastuli incola.

Nam neutro, carceris locus est: masculino, custos pœnalis loci. Lucilius lib. XV. *Non ergastulus vnus. Et alius* (ita hæc corrigo siue dirigo, aberrantia aliter & confusa. nam alium aliquem scriptorem citat, etsi innominatum. nisi mauis: *Et alibi) Iudicem opposuit, vt nemo sententiam liberè quasi ergastulus possit dicere.* Quæ postrema verba euincunt de meâ mẽte: quia nihil certè magis obnoxium quàm seruus; & inter seruos, ab ergastulo isti.

Nonius correctus.

Seruì bigeneri ad Ergastula.

SED transeo ad Homines ipsos. qui è seruis quidem, sed duûm generum. Aut enim Noxij in hæc Ergastula detrusi aut Innoxij. Noxij; puta siqui è seruis contumaci ingenio, fugitiui, mali & malitiosi, crebri in delicto; hos dominus ex more damnabat in hanc pœnam. Damnabat ipse dico. quoniam iudice aut sententia aliâ, præter herilem, non hîc opus. Atque, vt solet, temerè sæpe & per iram. Seneca indicat libro III. De Ira: *Magnam rem sine dubio fecerimus, si seruulum infelicem in ergastulum miserimus.* Horatius item ad suum illum monitorem:

Mali primùm, pœnæ caussa & vltionis.

Horatius explicatus.

——*ocius hinc te*
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

Ad quem locum interpres vetus benè & verè: *quasi octo seruos herus miserit in ergastulum agri Sabini.* Prorsus enim illa mens

poëtæ

poëtæ minantis. Iuuenalis etiam ad hunc morem, de perditâ illâ nobilitate:

Quid facias talem sortitus Pontice seruum?
Nempe in Lucanos aut Thusca ergastula mittas.

Et tangit Lactantius libro v. Institutionũ, cap. xix. *Quod si seruorum nequissimus habetur, qui dominum suum fugâ deserit, isque verberibus, vinclis, ergastulo, cruce, & omni malo dignissimus iudicatur.* Vbi ergastulum inter seruiles pœnas recenset, ex prisci tamen potiùs æui quàm sui ritu. Nam Lactantij temporibus id abolitum, vt post dicam. At innoxij etiam huc immissi. puta, siqui viles serui, captiui, barbari, corpore tantùm boni: & quibus cerebrũ omne in manu. hos emebant vulgò in hunc tantùm finem. Didicisti suprà ex Plutarcho & Appiano. Et ex hac quidem duplici fece, ergastula plerũque farcta. nisi quòd ingenui etiam interdum & liberi conjecti in ea, per vim siue fraudem. Suetonius indicat in Augusto, capite xxxii. *Raptiper agros viatores sine discrimine, liberi seruique ergastulis possessorum supprimebantur.* Iterumque in Tiberio, cap. viii. *Curam sustinuit repurgandorum tota Italiâ ergastulorum, quorum domini in inuidiam venerant, quasi exceptos supprimerent non solum viatores, sed & quos sacramenti metus ad huiusmodi*

Etiam innocentes, roboris causâ.

Aliquãdo & ingenui, per fraudem & plagiũ.

Repurgatio Ergastulorum per Augustum.

modi latebras compulisset. Videsque quàm seria ista res, & quale eius pōdus, quod Principis etiam humeris subeundum fuit. Miserabile autem huius violentæ fraudis exemplum in Appiani Ciuilium quarto. vbi puer quispiam narratur relatus inter proscriptos, & matrem aggressus vt adiutum se vellet & celatum: à quà repulsus (vide impiam serpentem) *non ausus post matrem cuiquam se committere, fugit ad mōtana. vnde fame depulsus venit iterum ad plana, captusque ab improbo quopiam est, qui viatores prætereuntes rapere solitus & in ergastulum conijcere vinctos. Ipse autem puer, in delicijs scilicet semper habitus, laborem insolitū hunc non tolerans, in viam publicam cum ipsis cōpedibus se dedit: prætereuntibusque fortè centurionibus sese indicauit, & ab ijs interfectus.* Qui notabilis locus, & infamem hāc grassaturam ante oculos ponit clarè.

Mirum & miserum exemplum.

Sed ad formam Modumque quo hîc habiti, series me vocat: qui reuera per exempla omnia ijt miseriæ & depressionis. Inferos suos somniabant? in ergastulis veri illi. Nam primùm perpetim vincti habebantur (custodiæ scilicet caussâ) & in ferro. Columellæ serium præceptum est, vt *Dominus villæ exploret, num villicus aut alligauerit quempiam ipso nesciente, aut reuinxerit. Nam vtrumque maximè seruari debet, vt & quem*

Ergastuli semper vincti.

quem paterfamilias tali pœna multauerit, villicus nisi eiusdem permissu compedibus nō eximat: & quem ipse suâ sponte vinxerit, antequam sciat Dominus, non resoluat. Et ipsi serui Ergastularij, *Vincti* appellantur, ab hac caussâ. Seneca De Beneficijs: *O miserum, siquem delectat sui patrimonij liber magnus, & spatia terrarum colenda per vinctos.* Idem De Breuitate vitæ: *Qui in ceromate spectator puerorum rixantium sedet, qui vinctorum suorum greges metatur, & colonorum paria deducit.* Quæ postrema tamen verba in mendo, siquid fidis & priscis libris fidei, qui referūt: *& in colorū paria diducit.* quos equidē audio, & interpretor diuidi greges illos & cohortes Vinctorum (incredibilis enim multitudo, vtique apud illos locupletes) secernique per nationes ac colores solere. Puta qui Oriētales & fusci, in tali villâ & agro: qui à frigidiore axe & albi, in illâ habeantur, & illo. vt valetudo, vt loca suadere videbātur, vt domini libido & voluntas. Hoc in alijs quoq; & quidē domesticis seruis factū, idē meus Seneca me docet Epistola 96. *Trāseo*, inquit, *exoletorum agmina, per nationes coloresq; descripta.* vbi à coloribꝰ clarū vides discrimen. Sed rē meā premo. & vinctos hos moneo, tamē pedibus tantū. Nā manibus aut brachijs si fuisset, quomodo processissetijs opus? fodere, arare, sarrire: &

Ideoque eâ vocc vulgo notati.

Seneca emendatus.

Atque explicatus.

Serui per nationes, & colores diuisi.

Vincti pedibus tantum.

quæ

quæ alia rei rurestris. Ita enim vincti, vt nec inter opus soluerentur, metu scilicet fugæ. Ouidius adfirmat:

Etiam inter ipsum opus.

Spes etiam dura solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Compedes huic rei.

Nostros enim istos intellegit, quibus crura adstricta semper: idque compedibus. Cicero pro Rabirio perduellionis reo: *Ille ex compedibus atque ergastulo Gracchus*. Ideò *Cathenatos cultores*, Florus eos appellat: & Appuleius *pedes* ijs tribuit *anulatos*. Vterque rectè, quia compedes illæ laxæ ad motum aliquem & ingressum, & orbes cathenæ è ferro, instar anulorum. Itaque Martialis hasipsas compedes Anulos appellauit, & quæsiuit in eo caussam ioci:

Quas & Anulos appellant.

Anulus iste tuis fuerat modò cruribus aptus.

Et iterùm:

Has cum geminâ compede dedicat cathenas,
Saturne, tibi Zoilus, anulos priores.

Eaque è ferro.

Ait, cum geminâ compede: ergo ligatum ijs crus vtrumque, quod respsa suadet me silente. Sicut & illud, quod è ferro. Plautus eo adspectu, ergastulos genus ferratile appellauit in Mostellariâ:

Plautus illustratus.

Augebis rure numero genus ferratile.

Interminatur enim seruo, illuc eum se missurum. Et ab eodem fonte iocus in Persâ:

Nego-

Negotium edepol fuit. TOX. *ferreum fortasse.* SAG. *plusculum annum*
Fui præferratus apud molas Tribunus vapularis.

cum allusione item, quasi si Tribunus militaris apud Nolam. At Tertullianus tamẽ alibi etiam fuisse ostendit ex auro. Libello De Habitu mulierum: *Apud Barbaros quosdam,* inquit, *quia vernaculum est aurum & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent.*

VINCTI igitur. addo etiam, Inscripti. id est, stigmatio, siue litteris notisque in facie puncti, vt essent noscibiles. Martialis: *Inscripti Ergastuli, siue notis compũcti.*

Quatuor inscripti portabant vile cadauer.

Ausonius:

Ergo notas scripto toleraſti Pergame vultu.

Vetus ea pœna, & alijs quoque gentibus non ignota. Plutarchus auctor, Samios captiuis Athenienſium noctuam inussisse: & hos vicissim illis Samænam. nauis id genus est. Idem in Niciâ de Syracusanis scribit: Plato libro VIII. De Legibus, sacrilegos fronte & manibus inurit: *Siquis sacrilegium commiserit, si quidem seruus aut hospes fuerit, in facie manibusque crimen inscriptus & flagellatus, extra fines patrios projicitor.* Plutarchus etiam Thracibus adtribuit, libello De Tarditate diuinę vindictę. *Mos compungendi vetus, & per gentes sparsus. Græci & Siculi vsurparunt. Thraces item.*

Et

Et quod Græci passim in seruos vsi, indicat Phocyllidis admonitio eos a cruditate hac reuocantis.

Sapissimè Romani. In liberos. Creberrimè tamen ante omnes & liberrimè Romani: etiã in liberos homines, qui calumniæ damnati. Eorum enim fronti K. littera inusta: quoniã prisci videlicet Kalumniam scribebant. Idque alijs iam notatum. At in seruos nihili & nequam multo magis; & maximè in istos ab ergastulis, velut solemni quodam ritu. Ideò Iuuenalis inscripta ergastula agnominat:

Seruosque.

Quem mire adficiunt inscripta ergastula.

Et Plinius clarè: *At nunc eadem illa* (rura) *vincti pedes, damnati manus, inscripti vultus exercẽt.* Scribonius Largus opportuna quadam narratiuncula cap. CCXXXI. *Quatenus acrium & exulceratorum medicamentorum habita est mentio, ponemus quo stigmata tolluntur indignis. Etenim multis hæc calamitas extransuerso accidit, vt dispensatori Sabini Calui* (lego, *Caluisij.* Siquidem ille est, qui Senecæ & Plutarcho nominatus, diues & potens sub Claudio: quo æuo Scribonius quoque vixit) *naufragio in ergastulo deprehenso: quem Tryphon multis delusum, & ne casu quidem notas confusas habentem, vno medicamento liberauit.* Ita totum eum locum vetusti medici legimus & distinguimus, in nostro quidem libro valdè confusũ. Et hæc

Scribonius Largus emendatus.

quoque

quoque Inscriptio vsurpata in pistrinensibus seruis. Appulcius prorsus graphicè descripsit libro IX. *Dij boni, quales illi homunculi, vibicibus liuedinis totam cutẽ depicti, dorsumque plagosum scissili cẽtunculo magis inũbrati, quàm obtecti, nonnulli exiguo tegili pubẽ tãtummodò intecti* (cõmodiùs liber scriptus qui apud me à Victore Giselino, *inuecti*) *cũcti tamen sic tunicati vt essent per pãnulos manifesti: frõtes litterati, & capillũ* SEMIRASI, *& pedes anulati.* Nã frõtes litterati, inscripti nostri sunt: idque eum scripsisse adseuerem imitatione Plauti. apud quẽ in Cassinâ seruus cõseruo conuicium facit: *Si hic litteratus me sinat:* nec aliter quã Stigmatiã & litteris in vultu notatũ interpretẽr, etsi cõtrà nitẽte Lãbino: qui accipi eũ vult, cuius tergũ velut litteris, virgis concisũ sit atque cõscriptum. Non dissimulo tamẽ in manuscripto nostro hîc esse, *frontes liturati.* quod ipsũ haud displiceat, quasi scripti & rescripti. & fortasse an ita scripserit & Plautus. Quãquã cur ambigimus? veræ litteræ frõti inscribi solitæ, imò vultui sæpè toti. Litteræ, dico aut plura verba quæ crimẽ cõtinerent caussãque notę. puta *Caue à fure. A fugitiuo:* &c. bene explicat Petroni⁹, *Impleuit Eumolpus frõtem vtriusque ingentibus litteris, & notũ Fugitiuorum epigrãma per totã faciẽ liberali manu duxit.* Iuuat & Seneca de Beneficijs

Pistrina etiam inscripta.

Leuiter Appulcius emẽdatus.

Litterati serui, qui Appuleio & Plauto.

Noua in Appuleio lectio: fortasse & ad Plautũ propaganda.

Qualis illa vultus inscriptio.

Multorum verborum sæpe.

ficijs libro IV. *Improbissimo militi, ingratissimo hospiti, auidissimo naufrago stigmata inscriberet ingratum hospitem testantia.* Sed optimè Petronius: qui faciem etiam totam complet, nec falsò. Ioannes Zonaras Tomo III. Annalium, duos quospiam monachos quia Imp. Theophilũ liberiùs monuissét, inter alias ignominias, inscriptos ait: & quidem ita, vt duodecim versuum epigramma exciperet illâ vultus, vt sic dicam, tabula: *Deinde facies eorum compunxit, & notis illis hos Iambicos versus atramento infuso expressit.* additque ipsos versus probos, plenos. Vide, & nota, quæso, locum: etiam illud, quod de infuso atramento. Nam ratio inscribendi ita habuit, vt primitùs litteræ siue notæ inurerentur candenti ferro. Iuuenalis:

Imò & versuum.

Quomodo inustio facta.

Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Vritur ardenti duo propter lintea ferro.

Seruum intellegit, qui ob furtum duũm linteorum frontem inustus. Næuium de hac re ego capio apud Priscianum libro VII.

Nauius poëta explicatus.

Signare oportet frontem calidâ forcipe.

Et ab hac caussâ iustè, Focorum signa appellauit ipsa Stigmata, Columellâ.

Et Columella.

Deletura quoque est fronti data signa focorum.

Benè ergo Valerius: *Seruus inexpiabili litterarum*

terarum notâ per ſummam oris contumeliam inuſtus. Poſt inuſtionem autem, atramentum infunderetur, quò eminerent magis litteræ & præberent ſe lectui. Ex Zonarâ, & Petronio ſuprà, vides.

Atramentum ſtigmati infuſum.

IAM tertia Ergaſtulorum nota, vt SEMIRASI. Competit id in omnes ſanè viliores ſeruos, vt CAPITIS ALTERA PARS IIS CAPILLATA ESSET, ALTERA NVDA, PER IGNOMINIAM PERQVE RISVM. Catullus de Buſtuario ſeruo, qui vilis vt omnes Libitinarij:

Ergaſtuli ſemiraſi. Sicut viliores omnes ſerui.

A ſemiraſo tunderetur vſtore.

Sed propriè in eos, qui ad Ergaſtula damnati, aut etiam in publicum opus. Appuleius ſuprà de Piſtrinarijs: *capillum ſemiraſi.* Artemidorus libro I. cap. XXII. *Vtram autem partem capitis nudam ſibi habere viſus, ſi parum meminit: damnabitur ad opus publicum. nam & hoc iſtîc damnatis inſigne eſt.*

Itemque in opus damnati.

Ad formam habendi, aliquid etiam facit Victus. qui pertenuis ſanè illis, & aſper. Dimenſum enim quoddam exiguum habebãt in diem, & tenuius omnino quàm vrbani ſerui. Quâ cauſsâ Paulus Iuriſcõſultus argutè collegit, ex cibarijs quoque deprehendi poſſe, quos ſeruos paterfamilias adnumerare ſit ſolitus, inter hos, aut illos. l. Seruis vrbanis, De legat. III. Hunc diur-

Tenuis & aſper ergaſtulorum victus.

Diaria. num cibum, Diaria appositè appellarunt. Martialis:

Sed Lupus vsuram, puerique Diaria poscunt.

Seneca patet lib. ix. Controuers. iv. *Cùm introductus esset è carcere in Senatum, postulaturus vt diaria* (malè in libris, *diariam*: nam & in carcerarijs hoc seruatum) *acciperet.* Iusta, Columella dixit, in hisipsis ergastulis: *Diligenter Dominus*, inquit, *cum & ab ipsis* (vinctis:) *tum & absolutis, quibus maior est fides, quærat, an ex sua constitutione iusta percipiant: atque ipse panis potionisque bonitatem gustu exploret.* Canonē Saluianus vocat, De Prouidentiâ lib. iv. *Serui si fures sunt, ad furandum forsitan egestate coguntur. quia etiamsi eis stipendia vsitata præstentur, consuetudini hæc magis quàm sufficientiæ satisfaciunt: & ita implent canonem, quòd non explent satietatem.* Hūc omnem victum, constitisse pane tantùm, aquâ, sale, & si fortè aceto, auguror ex alijs locis: quibus non hîc locus. Pleraque dixi de modo.

Iusta.

Canon.

Crebritas ergastulorum mira.

At multitudo & frequentia ergastulorum mira. Totam Italiam obtinebant, nec liberis capitibus iam in eâ sedes aut locus. Liuius iure queritur, libro vi. *Olim multitudinem innumerabilem liberorum capitum in ijs locis fuisse, quæ nunc, vix seminario exi-*

gue

guo militum relicto, seruitia Romana ab solitudine vindicãt. Et adpositè Seneca in verbis suprà, *Greges victorum metari*, dixit: copiam hanc adspiciens, & quod ijs tantumnon per cohortes & legiones metanda velut castra. Sparsa etiam per prouincias. Florus de Siciliâ: *Terra frugum ferax, & quodammodo suburbana prouincia, latifundijs ciuium Latinorum tenebatur. Hîc ad cultum agri frequentia ergastula cathenatique cultores, materiam bello præbuere.* Quo loco parum mihi grati aut rati ciues illi Latini. quis veterum ita loquitur? socios Latinos dicunt, non ciues. Res ipsa non vera. certè enim Romani ipsi agros eos habuerunt, nõ Latini. Corrigo, nisi fallor, aprè, *ciuium lautiorum.* Diuites scilicet intellegit & lautos, qui per illam aliasque prouincias latè possidebant. In terrâ etiã Galliâ ita crebra, vt M. Antonius ad Mutinã victus & fugiens, exercitum suum ex ijs supplere conatus sit. D. Brutus ita scribit ad Ciceronem: *Quacumque iuit, ergastula soluit, homines abripuit.* Nec aliã magis intimã caussã scio solitudinis & vastitatis inductæ per Romanas prouincias: quâ Barbaris deinde expositæ in direptionẽ & prædã. Atque hæc de ergastulorũ carcere. quem in pœnã generis humani, non in bonũ vllum publicum inuentum esse, fatebuntur mecũ omnes qui sunt

Florus bene correctus.

Eaque intima caussâ solitudinis per prouincias.

suæ mentis. Diu tamen mansêre, & quidē ad Principatum vsque Hadriani: qui salubriter sustulit. Spartianus paucis verbis, sed claris: *Ergastula seruorum & libertorum tulit.* Ita enim sępe ij scriptores Cęsarei Ferendi verbò vsi, pro Auferendi: Nec sanè post id æui notatum mihi vestigium ergastulorum satis impressum, aut firmum: nec apud ipsos quidem Iurisconsultos. qui in more tam recepto & litibus exposito, nūquam aliter abstinuissent. Etsi deleta pleraque aut immutata etiam odoror à Triboniano. Quod autem in Ambrosio est: *Plerique diuitum amandare consueuerunt mancipia sua, & in agellulos relegare: atque hæc pœna grauior existimatur*; omnino non de istis, nec damnatione in opus accipiendum, sed de temporaneâ ablegatione quadam extra oculos domini offensi. Vlpianus aperit, lib. xxxv. De hered. instit. *Proinde si seruus missus fuerit in villam, interim illic futurus, quia dominum offenderat, quasi ad tempus relegatus: responsum est eum ad villæ legatum non pertinere.* Similis relegatio illa clementis Principis apud Suetonium, Augusti cap. xxiv. *Equidem Romanum hastæ subiecit. quem tamen, quod imminere emptioni publicanos videbat, liberto suo addixit, vt relegatum in agros pro libero esse sineret.* Et Manliana illa vetus: de qua

Ergastula prorsus sublata.

Ideo silentium de ijs apud Iurisconsultos priscos.

Ambrosij locus, & mens.

Relegatio quadam seruoris.

qua Seneca libro 3. De Beneficijs: *Vicit patrem Imperiosum quidem Manlius. qui cùm ad tempus relegatus esset à patre ob adolescentiam brutam ac hebetem.* vbi nihil temerè mutem, ambigam tamen an non, *ad campos relegatus.* sicut in Suetonio, *in agros:* quia libri veteres vacillant, & quidam, *ante tempus.* *Lenis coniectura in Senecâ.*

CAPVT XIV.

Seruorum manumittendorum Capita radi solita apud Romanos. Locus Iuuenalis & alius Plauti declaratus.

IVuenalis Satyrâ quintâ, pungens eos qui potentiorum sectatores fiunt, hos versus concinit: *Iuuenalis Satyra 5.*

——omnia ferre
Si potes, & debes, pulsandum VERTICE RASO
Præbebis quandoque CAPVT: *nec dura timebis*
Flagra pati, his epulis & tali dignus amico.

Quos plerique parum docti grammatici verborum inuolucris interpretati, ita studiosos demorantur, vt non sit facilè existimare quæ tandem auctoris mens & quis

verborum sensus existat: si tamen terso iudicio exponuntur, profectò manifesti apertique fient: Et licet aliud alij autument eruditiores, ego Lucubrationibus Alexandri adhærens, illius opinioni accedo quæ magis ex contextu verborum redundat: Quòd cum antea multis criminationibus illos qui mensas potentiorum sectantur, & alienâ quadrâ vêtris aucupium faciunt, poëta fuerit insectatus, post multa quæ sub alieno imperio digna atque indigna pati necessum est, vt aliquando tandem in libertatem se vindicent, suadendo concludat.

Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 10. pag. mihi 200.

Serui quo modo manumissi.

Exponit etiam modum methodumque, quâ quispiam liber à prætore designaretur, RASO CAPITE. Fuit enim antiqui moris, vt qui ex seruitute in libertatem vocabatur, RASO CAPITE ad prætorem itaret, apud quem bis terque caput percussus, vel per lictorem percuti iussus, virgulâ *vindictâ* dictâ, aut festucâ in eum iactâ, quem vertisset dominus, prætoris iussu, eximeretur seruituti. Qui verò libertatem eo modo consequeretur *manumissus, vindictâ*, dicebatur: sed & vrbe Romanâ donabatur à Vindicio nempe Vitelliorum seu Aquiliorum seruo, cuius iudicio detectâ cõiuratione de opprimendis Coss. qui primus

Vindicta virgula vnde dicta.

mus ciuitate donatus est, cautũ fuit vt qui ita libertatem adsequerentur *vindicta* manumissi dicerentur. Porro CAPITE RASO tam illi qui liberi fiebant, quàm qui bello capti seruitute exempti fuerant, incedere, & triumphantis currum prosequi consueuerunt. Obseruatum est autem vt in templo Feroniæ libertorum Deæ, munia libertatis consequerentur. Non ergo inscitè debere eos, qui potentiorum quadris tam seruiliter inhiant, CAPVT RASO VERTICE prætori pulsandum præbere, seque in libertatem vendicare debere, cecinit Satyricus. *Titus Liuius.*

Ipsum eundem radendi capillitij ritum in Plauto videre est, vbi seruus Amphitruonis Sosia, per Mercurium Sosiam ipsum mentientẽ, pugnis malè mulctatus lumbifragijque minitatione repulsam à foribus dominæ passus, & ad herum repedare coactus, optat ab eodem pariter ignorari, vt sic nouo iam substituto Sosiâ, RASO CAPITE pileo donetur: *Locus Plauti in Amphitrione Act. primo scenâ 1. elucidatus.*

MERC. *Quo agis te?* SOS. *Domum.* MERC. *Quadrigas si nunc inscendas Iouis*
Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.
SOS. *Nonne heræ meæ nunciare quod herus meus iussit, licet?*

MERC. *Tuæ quod vis nunciare, hanc nostram adire non sinam.*

Nam si me iritassis, hodie lumbifragium hinc auferes.

SOS. *Abeo potiùs. Dij immortales, obsecro vestram fidem!*

Vbi ego perij? vbi immutatus sum? vbi ego formam meam perdidi?

An egomet me illîc reliqui, si fortè oblitus fui?

Nam hic quidem omnem imaginem meam quæ antehac fuerat possidet.

Viuo fit, quod nunquam quisquam mortuo faciet mihi.

Ibo ad portum atque hæc, vt sunt facta, hero dicam meo:

Nisi & is quoque me ignorabit: quod ille faciat Iupiter,

VT EGO HODIE RASO CAPITE CALVOS CAPIAM PILEVM.

Vnde mos radendi capita manumittendorum.

Vnde autem mos ille rasitandi capita manumittendorum? an quia seruitutis tempestates & ergastulorum profundos miseriarum oceanos euasissent? hoc reor: nam & vectores nautæque pericula maris cùm euasissent, capita votiuè rasitauerunt.

CAPVT

CAPVT XV.

Non licuisse antiquis Capillos in naui, sine piaculo, deponere, docuit Petronius historiâ subsequente, rem nostram haud parùm illustrante.

TRes quidam adolescentes Eumolpus, Gyton, & Eucolpus, nescio quo facinore, conflarant sibi maliuolentiam Glicæ Tarentini viri marinâ negotiatione perpotentis, necnon feminæ cuiusdam nobilis, quàm Triphęnam appellabant. Inciderunt tandem imprudentes nebulunculi in nauem Glicæ, vbi inter vectores erat & vnà cum ancillis suis Triphæna. Quid faciant hostiles manus elusuri? nempe ludum hunc quem nobis exponit Petronius inducens primò nautam ab hospitio ad nauigium eos vocitantem:

„Crepuit ostium impulsum, stetitque „in limine barbis horrentibus nauta: &, „Moraris, inquit, Eumolpe, tanquam „propudium ignores. Haud mora, om„nes consurgimus, & Eumolpus qui„dem mercenarium suum iam olim dor„mientem exire cum sarcinis iubet: Ego

„go cum Gytone quicquid erat, in altum
„compono, & adoratis sideribus intro
„nauigium. * *

„Cœpi somnum obruto tunicula capi-
„te mentiri. Sed repentè quasi destruen-
„te fortuna constantiam meam, eiusmo-
„di vox super constratum puppis conge-
„muit: Ergo me derisit? At hæc quidem
„virilis & pene auribus meis familiaris
„animum palpitantem percussit. Cete-
„rum eadem indignatione mulier lace-
„rata vlteriùs excanduit, &, Si quis Deus
„manibus meis, inquit, Gytona impo-
„neret, quàm bene exulem exciperet! V-
„terque nostrum tam inexpectato ictus
„sono amiserat sanguinem. Ego præci-
„puè, quasi somnio quodam turbulento
„circumamictus diu vocem collegi, tre-
„mulisque manibus Eumolpi iam in so-
„porem labentis laciniam duxi, &, Per
„fidem, inquam, pater cuius hæc nauis
„est, aut quos vehat, dicere potes? Inquie-
„tatus ille molestè tulit, &, Hoc erat, in-
„quit, quod placuerat tibi, vt super con-
„stratum nauis, occuparemus secretissi-
„mum locum, ne nos patereris requies-
„cere? Quid porro ad rem pertinet si di-
„xero Licam Tarentinum esse dominum
„huiusce nauigij, qui Triphænam exulem
„Tarentum ferat? Intremui post hoc ful-

men

„men attonitus, iuguloque detecto, Ali-
„quando, inquam, totum me fortuna vici-
„sti. nam Gyton quidem super meum pe-
„ctus positus diu animam egit. Deinde vt
„effusus sudor vtriusque spiritum reuoca-
„uit, comprehẽdi Eumolpi genua, &, Mi-
„serere, inquam, morientium, id est, pro
„consortio studiorum commoda manum.
„Mors venit, quæ, nisi per te licet, potest
„esse pro munere. Inundatus hac Eumol-
„pus inuidia, iurat per deos deasque se ne-
„que scire quid acciderit, nec vllum do-
„lum malum consilio adhibuisse: sed men-
„te simpliciſſima, & vera fide in naui-
„gium comites induxisse, quo ipse iam
„pridem fuerit vsurus. Quæ autem hic
„insidiæ sunt? inquit, aut quis nobis Han-
„nibal nauigat? Licas Tarẽtinus homo ve-
„recundiſſimus, & non tantùm huius na-
„uigij dominus quod regit, sed fundo-
„rum etiam aliquot & familiæ negotian-
„tibus, onus deferendum ad mercatum
„conducit. hic est Cyclops ille & archipi-
„rata cui vecturam debemus: & præter
„hunc Tryphæna omnium fœminarum
„formosiſſima, quæ voluptatis causa huc
„atque illuc vectatur. Hi sunt, inquit Gy-
„ton, quos fugimus: simulque raptim
„causas odiorum & instans periculum tre-
„pidanti Eumolpo exponit. Confusus ille,

&

„& consilij egens iubet quemque suam „sententiam promere: &, Fingite, inquit, „nos antrum Cyclopis intrasse. Quæren„dum est aliquod effugium, nisi naufra„gium ponimus, & omni nos periculo li„beramus. Immo, inquit Gyton, persuade „gubernatori vt in aliquem portum na„uem deducat, non sine præmio scilicet, „& affirma ei impatientem maris fratrem „tuum in vltimis esse. Poteris hanc simula„tionem & lacrymis & vultus confusio„ne obumbrare, vt misericordiâ permotus „gubernator indulgeat tibi. Negauit hoc „Eumolpus fieri posse, quia magna, inquit, „nauigia portibus se curuatis insinuant, „nec tam cito fratrem defeciſſe verisimile „erit. Accedit his quod forsitan Licas, offi„cij causa visere languentem desiderabit. „Vides quàm valde nobis expediat vltro „dominum ad fugientes accedere. Sed fin„ge nauem ab ingenti posse cursu deflecti, „& Licam non vtique circumiturum æ„grorum cubilia; quomodo possumus e„gredi naue, vt non conspiciamur à cun„ctis? opertis capitibus, an nudis? opertis. „& quis non dare manum languentibus „volet? nudis. & quid erit aliud, quam se„ipsos proscribere? Quin potiùs, inquam, „ergo ad temeritatem confugimus, & per „funem lapsi descendimus in scapham,

præci-

„præciſoque vinculo, reliqua fortunæ cõ-
„mittimus? Nec ego in hoc periculum
„Eumolpum arceſſo. quid enim attinet in-
„nocentem alieno periculo imponere?
„Contentus ſum ſi nos deſcendentes ad-
„iuuerit caſus. Non imprudens conſilium,
„inquit Eumolpus, ſi aditum haberet. Quis
„enim non euntes notabit? Vtique guber-
„nator qui peruigil nocte ſiderum quo-
„que motus cuſtodit. Et vtcunque imponi
„vel dormienti poſſet, ſi per aliam partem
„nauis fuga quæreretur: nunc per puppim,
„per ipſa gubernacula dilabendum eſt, à
„quorum regione funis deſcendit qui ſca-
„phæ cuſtodiam tenet. Præterea illud mi-
„ror, Eucolpi, tibi non ſuccurriſſe, vnum
„nautam ſtationis perpetuæ interdiu no-
„ctuque iacere in ſcapha, nec poſſe inde
„cuſtodem, niſi aut cæde expelli, aut præ-
„cipitari viribus. Quod an fieri poſſet, in-
„terrogate audaciam veſtram. Nam quod
„ad meum quidem comitatũ attinet, nul-
„lum recuſo periculum quod ſalutis ſpem
„oſtendit. Nam ſine cauſa quidem ſpiri-
„tum tanquam rem vacuam impendere,
„nec vos quidem exiſtimo velle. Videte
„nunquid hoc placeat. Ego vos in duas
„iam pelles conijciam, vinctoſque loris
„inter veſtimenta pro ſarcinis habebo, a-
„pertis ſcilicet aliquatenus labris, quibus

&c

„& ſpiritum recipere poſſitis, & cibum.
„Cõclamabo deinde nocte ſeruos pœnam
„grauiorem timẽtes præcipitaſſe ſe in ma-
„re: deinde cum ventum fuerit in portum,
„ſine vlla ſuſpicione pro ſarcinis vos effe-
„ram. Ita verò, inquam ego, tanquam ſo-
„lidos alligaturus, quibus non ſoleat ven-
„ter iniuriam facere. an tanquam eos qui
„ſternutare non ſoleamus, nec ſtertere? an
„quia hoc genus furti ſemel mea feliciter
„ceſſit? Sed finge vna die vinctos poſſe du-
„rare: quid ergo ſi diutius, aut tranquilli-
„tas nos tenuerit, aut aduerſa tempeſtas?
„quid facturi ſumus? veſtes quoque diutius
„vinctas ruga conſumit, & cartæ alliga-
„tæ mutant figuram. Iuuenes adhuc la-
„boris expertes, ſtatuarum ritu patiemur
„pannos & vincula? Adhuc aliquod iter
„ſalutis quærendum eſt. Inſpicite quod
„ego inueni. Eumolpus tanquam litera-
„rum ſtudioſus vtique atramentum habet.
„hoc ergo remedio mutemus colores à
„capillis vſque ad vngues. Ita tanquã ſerui
„Æthiopes, & præſto tibi erimus ſine tor-
„mentorum iniuria hilares: & permuta-
„to colore imponemus inimicis. Quid tu,
„inquit Gyton, & circumcide nos, vt Iu-
„dæi videamur: & pertunde aures, vt imi-
„temur Arabes: & increta facies, vt ſuos
„Gallia ciues putet: tanquam hic ſolus co-
lor

„lor figuram possit peruertere, & nō mul-
„ta vna oportet consentiant, vt non natio-
„ne mendacium constet. Puta infectā me-
„dicamine faciem diutius durare posse: fin-
„ge nec aquæ asperginē imposituram ali-
„quam corpori maculam, nec vestem atra-
„mento adhæsuram, quod frequēter etiam
„non accersito ferrumine infigitur: age,
„nunquid & labra possumus tumore teter-
„rimo implere? nunquid & crines calami-
„stro conuertere? nunquid & frontes cica-
„tricibus scindere? nunquid & crura in or-
„bem pandere, nunquid & talos ad terram
„deducere? nunquid barbam peregrina-
„tione figurare? Color arte compositus
„inquinat corpus, non mutat. Audite quid
„timenti succurrerit. Præligemus vestibus
„capita, & nos in profundum mergamus.
„Nec istud dij hominesque patiantur, Eu-
„molpus exclamat, vt vos tam turpi exitu
„vitam finiatis. Immò potius facite quod
„iubeo. Mercenarius, inquit, meus, vt ex
„nouacula comperistis, tonsor est. hic
„continuo radat vtriusque non solum ca-
„pita, sed etiā supercilia sequar ego, fron-
„tes notans inscriptione solerti, vt videa-
„mini stigmate esse puniti. Ita cædem li-
„teræ & suspicionem declinabunt quærē-
„tium, & vultus vmbra supplici tegent.
„Non est dilata fallacia, sed ad latus na-

uigij

„uigij furtim proceſſimus, capitaque cum
„ſupercilijs denudanda tonſori præbui-
„mus. Impleuit Eumolpus frontes vtriuſ-
„que ingentibus literis, & notum fugiti-
„uorum epigramma per totam faciem li-
„berali manu duxit. Vnus fortè ex vecto-
„ribus, qui acclinatus lateri nauis exone-
„rabat ſtomachum nauſeâ grauem, nota-
„uit ſibi ad lunam tonſorem intempeſtiuo
„inhærentem miniſterio, execratuſque o-
„men, quod imitaretur naufragorum vlti-
„mum votum, in cubile reiectus eſt. Non
„diſſimulatâ nauſeantis deuotione, ad or-
„dinem triſtitiæ redimus, ſilentioque com-
„poſito, reliquas noctis horas malè ſopo-
„rari conſumpſimus * * *
„Videbatur mihi ſecundum quietem Mor-
„pheus dicere, Eucolpion quod queris, ſci-
„to à me in nauem tuam eſſe perductum.
„Exhorruit Triphæna: &, Putes, inquit,
„vnà nos dormijſſe: nam & mihi ſimula-
„crum Neptuni quod * Baiſtor aſylo no-
„taueram, videbatur dicere: In naui Licæ
„Gytona inuenies. Hinc ſcies, inquit Eu-
„molpus, Epicurum hominem eſſe diui-
„num, qui eiuſmodi ludibria facetiſſimâ
„ratione condemnat. Ceterum Licas vt
„Triphænæ ſomnium expiauit, Quis, in-
„quit, prohibet nauigium ſcrutari, ne vi-
„deamur diuinæ mentis opera damnare? Is

„ qui

„qui nocte miserorum furtum deprehen-
„derat Hesus nomine, subitò proclamat,
„ergo illi qui sunt qui nocte ad Lunam ra-
„debãtur? pessimo medius fidius exemplo.
„Audio enim non licere cuiquam morta-
„lium in naue neque vngues neque CA- *Nota.*
„PILLOS deponere, nisi cum pelago ventus
„irascitur. Excanduit Licas hoc sermone
„turbatus: &, Ita ne, inquit, capillos ali-
„quis in naue præcidit, & hoc nocte in-
„tempesta? attrahite ocyus nocẽtes in me-
„dium, vt sciam quorum capitibus debeat
„nauigium lustrari. Ego, inquit Eumolpus,
„hoc iussi: nec nõ eodem futuros nauigio,
„auspicium mihi feci: sed quia nocentes
„horridus longosque habebãt capillos; ne
„viderer de naue carcerẽ facere, iussi squa-
„lorem damnatis auferri: simul vt notæ
„quoque literarum non adumbratæ coma-
„rum præsidio totæ ad oculos legentium
„accederent. Inter cetera apud communẽ
„amicam cõsumpserunt pecuniam meam,
„à qua illos proxima nocte extraxi mero
„vnguentisque perfusos. Ad summam ad-
„huc patrimonij mei reliquias olent * Ita-
„que vt tutela nauis expiaretur, placuit
„quadragenas vtrisque plagas imponi.
„Nulla ergo fit mora. Aggrediuntur nos
„furentes nautæ cum funibus, tentantque
„vilissimo sanguine tutelam placare. Et

„ego quidem tres plagas Spartana nobili-
„tate concoxi: Ceterum Gytō semel ictus,
„tam valde exclamauit, vt Triphænæ au-
„res notissima voce repleret. Non solùm
„ergo turbata est, sed ancillæ quoque om-
„nes familiari sono inductæ, ad vapulan-
„tem decurrunt. Iam Gyton mirabili for-
„ma exarmauerat nautas, cœperatque etiã
„sine voce sæuientes rogare, cùm ancillæ
„pariter proclamant; Gyton est, Gyton,
„inhibete crudelissimas manus: Gyton est,
„Domina succurre. Deflectit aures Tri-
„phęna iam sua sponte credentes, raptim-
„que ad puerum deuolat. Licas, qui me
„optimè nouerat, tanquam & ipse vocem
„audisset, accurrit: & nec manus, nec faciẽ
„meam considerauit, sed continuo ad ge-
„nua mea luminibus deflexis, mouit offi-
„ciosam manum: &, Salue, inquit, Eucol-
„pi. Miretur nunc aliquis, Vlyxis nutricem
„post vicesimum annum cicatricem inue-
„nisse originis indicem, cùm homo pru-
„dentissimus confusis omnibus corporis
„indiciorumque lineamentis, ad vnicum
„fugitiui argumẽtum tam docte peruene-
„rit. Triphæna lacrymas effudit decepta
„supplicio: vera enim stigmata credebat
„captiuorum frontibus impressa, sciscita-
„rique summissius cœpit, quod ergastulum
„intercepisset errantes, aut cuius tam cru-

deles

„deles manus in hoc supplicium duraſſent:
„Meruiſſe quidem contumeliam aliquam
„fugitiuos, quibus in odium bona ſua ve-
„niſſent. Concitatus iracundia proſilijt
„Licas, &, O te, inquit, fœminam ſimpli-
„cem, tãquam vulnera ferro præparata li-
„teras biberint. Vtinam quidem hac ſe in-
„ſcriptione frontis maculaſſent! habere-
„mus nos extremum ſolatium. Nunc mi-
„micis artibus petiti ſumus, & adumbrata
„inſcriptione deriſi. Volebat Triphæna
„miſereri, quia non totam voluptatem
„perdiderat: Sed Licas memor adhuc v-
„xoris corruptæ, contumeliarumque quas
„in Herculis porticu acceperat, turbato
„vehementius vultu proclamat: Deos
„immortales rerum humanarum agere cu-
„ram, puto, intellexiſti ô Triphæna. nam
„imprudẽtes noxios in noſtrum induxere
„nauigium, & quid feciſſent, admonue-
„runt pari ſomniorum conſenſu. Ita vide
„vt proſit illis ignoſci, quos ad pœnam
„ipſe Deus deduxit. Quod ad me atti-
„net non ſum crudelis, ſed vereor ne
„quod remiſero, patiar. Tam ſuperſti-
„tioſa oratione Triphæna mutata, ne-
„gat, ſe interpellare ſupplicium, immo
„accedere etiam iuſtiſſimæ vltioni: nec
„ſe minus grandi vexatam iniuria, quàm
„Licam, cuius pudoris dignitas in con-

„cione proſcripta ſit
* * *
„Me vtpote hominem non ignotum ele-
„gerunt ad hoc officium, petieruntque vt
„ſe reconciliarem aliquando amiciſsimis.
„Niſi forte putatis iuuenes caſu in has
„plagas incidiſſe, cum omnis vector ni-
„hil prius quærat, quam cuius ſe diligen-
„tiæ credat. Flectite ergo mentes ſatisfa-
„ctione lenitas, & patimini liberos ho-
„mines ire ſine iniuria quò deſtinant. Sæ-
„ui quoque implacabileſque domini cru-
„delitatem ſuam impediunt, ſi quando
„pœnitentia fugitiuos reduxit, & dedi-
„titijs hoſtibus parcimus. Quid vltra pe-
„titis? aut, quid vultis? In cõſpectu veſtro
„ſupplices iacent, iuuenes, ingenui, hone-
„ſti, &, quod vtroque potentius eſt, fa-
„miliaritate vobis aliquando coniuncti. Si
„mehercules interuertiſſent pecuniam ve-
„ſtram, ſi fidem proditione læſiſſent, fa-
„tiari tamen potuiſſetis hac pœna quàm
„videtis. Seruitia ecce in frontibus cerni-
„tis, & vultus ingenuos, voluntaria pœ-
„narum lege proſcriptos. Interpellauit
„deprecationem ſupplicis Licas; & Noli,
„inquit, cauſam confundere, ſed impone
„ſingulis modum. Ac primum omnium,
„ſi vltro venerunt, cur NVDAVERE CRINI-
„BVS CAPITA? vultum enim qui permutat,
fraudem

„fraudem parat, non satisfactionem. De-
„inde si gratiam à legato moliebantur,
„quid ita omnia feciſti, vt quos tuebaris,
„absconderes? Ex quo apparet casu inci-
„disse noxios in plagas, & te artem quæ-
„sisse qua nostræ animaduersionis impetũ
„eluderes. Nam quod inuidiam facis no-
„bis, ingenuos honestosque clamando, vi-
„de ne deteriorem facias confidentia cau-
„sam. Quid debent læsi facere, vbi rei ad
„pœnã confugiunt? At enim amici fuerũt
„mei. eo maiora meruerũt supplicia. Nam
„qui ignotos lædit, latro appellatur: qui
„amicos, paulominus quàm parricida. Re-
„soluit Eumolpus tam iniquam declama-
„tionem: &, Intelligo, inquit, nihil magis
„obesse inuenibus miseris, quàm quod
„NOCTE DEPOSVERVNT CAPILLOS: hoc ar-
„gumento incidisse in nauem videntur,
„non venisse. Quod velim tam candide ad
„vestras aures perueniat, quàm simplici-
„ter gestum est. Voluerunt enim antequã
„conscenderent, exonerare capita mole-
„sto & superuacuo pondere, sed celerior
„ventus distulit curationis propositũ. Nec
„tamen putauerunt ad rem pertinere vbi
„inciperent, quod placuerat vt fieret: quia
„nec omen, nec legem nauigantium noue-
„rant. Quid, inquit Licas, *attinuit sup-*
„*plices radere?* nisi fortè miserabiliores

„calui ſolent eſſe. quanquam quid attinet
„veritatem per interpretẽ quærere? Quid
„dicis tu latro? quæ ſola Salamandra SV-
„PERCILIA tua excuſsit? CVI DEO CRINEM
„VOVISTI? Pharmace, reſpõde. Obſtupue-
„rã ego ſupplicij metu pauidus, nec quid
„in re manifeſtiſsima dicerem, inueniebã.
„Turbatus & deformis præter ſpoliati ca-
„pitis dedecus, ſuperciliorum etiam æqua-
„lis cum fronte caluities, vt nihil nec face-
„re deceret nec dicere. Vt verò ſpõgia vda
„facies plorantis deterſa eſt, & liquefa-
„ctum per totum os atramentum, om-
„nia ſcilicet lineamenta fuliginea nube
„confudit, in odium ſe ira conuertit. Ne-
„gat Eumolpus paſſurum ſe vt quiſquam
„ingenuos contra fas legemque conta-
„minet, interpellatque ſæuientium mi-
„nas, non ſolùm voce, ſed & manibus.
„Aderat interpellanti mercenarius comes
„& vnus alterque infirmiſsimus vector,
„ſolatia magis litis, quàm virium auxilia.
„Nec quicquam pro me deprecabar, ſed
„intentans in oculos Triphænæ manus,
„vſurum me viribus meis clara liberaque
„voce clamaui, ni abſtineret à Gytone in-
„iuriam mulier damnata, & in toto naui-
„gio ſola verberanda. Accenditur auda-
„ciâ meâ iratior Licas, indignaturq; quod
„ego relicta mea cauſa, tantum pro alio
clamo.

„clamo. Nec minus Triphæna contume-
„lia sæuit accensa, totiusque nauigij tur-
„bam diducit in partes. Hinc mercena-
„rius tonsor ferramenta sua nobis, & ip-
„se armatus, distribuit: illinc Triphænæ
„familia nudas expedit manus. Ac ne
„ancillarum quidem clamor aciem desti-
„tuit, vno tantum gubernatore relictu-
„rum se nauis ministerium denunciante,
„si non desinat rabies libidine perdito-
„rum collecta. Nihilominus tamen per-
„seuerat dimicantium furor; illis pro vl-
„tione, nobis pro vita pugnantibus. Mul-
„ti ergo vtrinque sine morte labũtur, plu-
„res cruenti vulneribus referunt veluti ex
„prælio pedem: nec tamen cuiusquam ira
„laxatur. * Stante ergo vtraque acie, cum
„appareret futurum non tralatitium bel-
„lum, ægre expugnauit gubernator, vt
„caduceatoris more Triphęna inducias fa-
„ceret. Data ergo acceptaque patrio mo-
„re fide, protendit ramum oleæ à tutela
„nauigij raptum, atque in colloquium
„venire ausa;

Quis furor, exclamat, pacem conuertit in arma?
Quid nostræ meruere manus? non Troius hostis
Hac in classe vehit decepti pignus Atridæ:

Nec Medea furens fraterno sanguine pugnat:
Sed contemptus amor vires habet, & mihi fata
Hos inter fluctus quis raptis euocat armis?
Cui non est mors vna satis? ne vincite pontum,
Gurgitibusque feris alios immittite fluctus.

„Hæc vt turbato clamore mulier effudit,
„hæsit paulisper acies, reuocatæque ad
„pacem manus intermisere bellum. * Iam
„Licas redire mecum in gratiam cœperat:
„iam Triphęna Gytona extrema parte po-
„tionis spargebat, cum Eumolpus & ipse
„vino solutus dicta voluit IN CALVOS STI-
„GMOSOSQVE iaculari: donec consumpta
„frigidissima vrbanitate, redijt ad carmi-
„na sua: cœpitque CAPILLORVM ELEGI-
„DARION dicere.

Quod solum formæ decus est, cecidere CAPILLI:
Vernantesque comas tristis abegit hiems.
Nunc vmbra nudata sua iam tempora mœrent:
Areaque attritis videt adusta pilis.
O fallax natura deûm: quæ prima dedisti
Ætati nostræ gaudia, prima rapis!
Infelix, modo CRINIBVS NITEBAS
Phœbo pulchrior, & sorore Phœbi:
At nunc læuior ære, vel rotundo

Horti

Horti tubere quod creauit vnda,
Ridentes fugis & times puellas.
Vt mortem citius venire credas,
Scito iam capitis periſſe partem.

„Plura volebat proferre, credo & ineptio-
„ra præteritis, cum ancilla Triphænæ, Gy-
„tona in partem nauis inferiorem ducit,
„CORYMBIOQVE dominæ pueri ADORNAT
„CAPVT. Immo ſupercilia etiã profert de
„pyxide, ſciteque iacturæ lineamẽta ſecu-
„ta, toram illi formam ſuam reddidit. * E-
„go, etiam ſi repoſitum in priſtinum de-
„corem puerum gaudebam, abſcondebam
„tamẽ frequentius vultum, intelligebam-
„que me non tralatitia deformitate eſſe
„inſignitum, quem alloquio dignum nec
„Licas quidem crederet. Sed huic triſtitiæ
„eadem illa ſuccurrit ancilla, euocatum-
„que me non minus DECORO EXORNAVIT
„CAPILLAMENTO: immo commendatior
„vultus enituit, quia * flaucorum co-
„rymbion erat.

CAPVT

Secta Calenderiorum.

Secvnda Religiosorum eiusmodi Secta calenderiorvm est, quorum sequaces votiuæ castimoniæ nauant operam, & de sua virginitate miro modo populares auras aucupantur. Abstinentiam & insolita ceteris Turcis ieiunia, superstitiosè obseruant. Hinc fana sua verè profana (quæ *Techias* appellant) his verbis inscribunt: Cæda normac, dil ersin cvsivnge, al chachec civr. quasi dicant: *Quisquis hunc Ordinem profiteri præsumit, operum nostrorum patrator & continentiæ castitatisqve obseruator esto.*

Vestis eorum togula, lanea sine manicis, sed ea setis equorum adeo intertexta, vt meritò cilicium appellaueris. Capvt & mentvm omninò derasvm: Pileus, qualem sacerdotes Græcorum ferre consueuerunt, alis latioribus, quibus fimbrias equiuis pilis confectas & palmum vnum longas adpendent. Svb eo capvt est depilvm, nec enim capillos alunt. Anulos ferreos collo brachijsque circumponentes: ijsdem etiam aures & (audebo dicere?) mentulam suam onerant, vt volentes nolentes continere cogantur, dum malè suadæ quandoque voluntati corpus obaudire non est potens, hoc anulo coërcitum. Procedunt vicatim cantantes odas quasdam sibi traditas à Narzimo primo ac pri-

ac primario eiusdem sectæ sancto (scilicet) & Martyre: qui cùm aduersus legem Mahometicam præter communem Turcorum hæresim, quædam effutiuisset, linguæ suæ petulantiam, detractâ pelle excoriatus, luit Azamiæ in Assyria. Iconem eiusmodi Sectarij hic habes.

TER-

Secta Dervisiorum.

Tertivm. Ordinem constituunt Dervisii, duobus dumtaxat velleribus aut caprinis pellibus amicti, quas soli expositas & siccatas corpori circumligant. Anulos ex iaspide fabrefactos auribus gestitant. Toto capite rasi & barba deglabrati sanctitatis opinionem venãtur, quocumque procedunt. Discursant autem æstate totâ, & vagis peregrinationibus Orientem perlustrant cultris & securibus armati. In suburbijs ciuitatum hibernant, vbi conuentus suos habent, & Abbatem, quem Assembaba nominant, id est, *patrem patrum*. Primarium huius ordinis monasterium in *Natolia* situm est, inter eos admodum nobile, quia inibi sepultus est Scidibattal eiusdem instituti heros sanctimoniâ Mahumeticâ rebusque fortiter gestis præclarus: quippe quem bonã partem regni Turcici subiugasse referunt. Itaque ad id cœnobium quottannis semel conueniunt, ibidemque comitia generalia & capitulum celebrant. Stupendis facinoribus popularium gratiam venantur: nam sumptâ herbâ quàm *Matslac* appellant, in furorem acti seipsos dirè laniant membraque propria crudeliter inscribunt & proscindunt. In hoc nempe Mahumetem imitati, qui nimiâ abstinentiâ maceratus, in delirium cecidit, & ex

Matslac herba hominem mentis impotem reddit.

antro

antro montis, quem incolebat, præcipitem sese dare voluit. Sic furentes diuinare feruntur & arcana cœlica eructare, donec sibi redduntur & digestâ herbæ violentiâ mentis compotes rursum efficiuntur. Vulnera porrò sua *fungis* persanant quos læsis partibus applicantes ibidem deficere & in puluerem redigi patiuntur. Malè grati sunt Constantinopoli, quia eorum vnus Imperatorem Mahumetem eius nominis secundum, quōdam suâ securi ausus est adgredi: tamen & in ea ciuitate eleemosynas sicut & alibicumque locorum, corradunt his verbis: SCIAI MER DANESCHINE, id est; *Date in honorem Hali generi Mahumetis, qui primus inter nos arma gessit.* Iconem DERVISII sic CAPITE BARBAQVE RASI & glabri dare libuit.

Nota vim fungi.

CAPVT XVIII.

Religiosi Mexicani cultibus idolorum deuoti adtondebantur in CORONAM. *Virgines item Peruanæ, Sanctimoniales & Clausirales Idolorum crinem etiam tondebant.*

IOsephus à Costa qui Naturalem ac Moralem Indiarum Orientalium & Occidentalium Historiam, Hispanico sermone vulgauit, docet apud Mexicanos in circuitu Templi Idoli Vitzilipuztli, duo fuisse MONASTERIA, quorum alterum incoluere masculi, alterum virgines. *Ioseph. à Costa lib. 5. cap. 16.*

Illi quidem adolescentes erãt annorum duodeuiginti aut certè viginti, voluntariã PAVPERTATEM, OBEDIENTIAM, & CASTITATEM professi. Eorum munera quasi Leuitarum, summo Sacrificulo famulãtium. Thus enim ministrabant, candelas accendebant, stromata vestesque disponebant & ligna subpeditabant igni, qui Sacræ Lampadis instar ante thronum Idoli iugiter ardebat. CAPVT illis in CORONAM TONSVM: crinis paullò longior, & qui collateraliter aures medias adtingeret: ab occipite verò defluentes in humeros nodulis coërcebant. Vestis eorum linea, candida. Erant

& alij quasi nouitij iuniores qui grandioribus subfamulabantur opere præsertim manuali, ramos ornando Templo deferentes, nouaculas Sacrificijs destinatas acuentes, & petitas à fratribus præfatis eleemosynas ad Cõuentum referentes. Vicatim namque procedebant quaterni, vultu in terram demisso ne mulierum obtutu labem animæ facerent stipem rogitando. Quòd si collecta non sufficerent, ad agros recurrebant & impunè sibi demetebant sata quæque obuia: victus namque eorum ratio ab liberalitate populi dependebat. Numerus corũ, vt summus, erat *quinquagenarius*. Media nocte surgebant & in Templo comparentes buccinas & cornua inflabant quibus ciues excitarentur in laudes *Idoli*. Vicissim etiam aduigilabant eiusdem focis, ne perpes flamma deficeret. Postquam nocturnum officium peregerãt Sacerdotes, hi Religiosi in sacellum loco secretiore secedentes, ita sacrificabant, vt sanguinem sibi nouaculis elicientes, eodem, sua tempora confricarent ac demum aquâ stagneâ lauarent. Huiusmodi pœnitentiæ professio annua illis erat.

De Virginibus Peruanæ prouinciæ, quid dicemus? Et illæ pluria inibi *Monasteria* incoluere domosque claustrales, quas *Acllaguagi* vocitabant, id est, *Electarum*

lectarum ædes. Suas Abbatissas appellabant *Mamacomas*: Præpositum verò cœnobij omnium curam gerentem *Apopanaca* dicebant. CRINIS EARVM TONSVS ingressu primo, qui postmodum recrescere sinebatur ad tempus, denuò amputandus. Cæteros earundem ritus & instituta videre licet apud Auctorem præfatum eiusdem libri capite XV.

DE CORONIS ET TONSVRIS IVDÆORVM.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De Nazareis Hebræorum Religiosis: eorum distinctio & nomen: item quanti apud Deum & homines.

PRima Religio legis antiquatæ re verâ fuit Nazaræorum, quorũ Regulas & statuta per Moysen instituta mox è sacris codicibus propalabimus. Erant autem eiusmodi Ordinis homines, qui, quò liberiùs interdiu noctuque meditationi rerum diuinarum vacarent, cæterorum hominũ commercio sese subducebant. Porrò constabat hic Ordo ferè personis, abstemium institutum

tum amplecterentur metaneæ vacaturi. Et hi quidem erant *pœnitentes*, reliqui verò quasi *contemplantes*. Vouebant Nazaræarum Regularum obseruationem omnes, sed aliter alij atque alij: vel ad mortē nempe, vel ad constitutum pœnitudinis suæ diem. Vnde, Samuelis ac Samsonis vota fuêre perennia, Sancti Pauli Gentium Apostoli non ita.

Erant autem eius Instituti viri Iudæis admodum pretiosi. Nec immeritò: quandoquidē DEVS ipse per Prophetam Amos beneficia populo suo præstita cōmemorās, recenset hæc præsertim tria: *Ego sum qui ascendere vos feci de terra Ægypti: Ego exterminaui Amorrhæum: ego* SVSCITAVI *de filijs vestris Prophetas, & de iuuenibus vestris* NAZARÆOS. Idipsum confirmatur in hist oria Machabæorum: cum enim Iudæi congregarentur in Maspha, audirentque Regis Anthiochi euercitū aduentare, *adtulerunt ornamenta sacerdotalia, & primitias, & decimas, &* SVSCITAVERVNT NAZARÆOS, *qui expleuerant dies, & clamauerunt in cœlum dicentes: Quid faciemus istis & quò eos ducemus?* *Amos 2. 11.* *Machab. lib. 1. c. 3. versu 49.*

Accedit insuper Lyrani notula in caput VI. libri Numerorum: *Ponitur*, inquit, *illud capitulum immediatè post illa quæ dicta sunt de muliere adultera: quia sicut per illam populus* *Lyran. in cap. 6. lib. Num.*

pulus peioratur, sic PER NAZARÆOS *è contrario melioratur*. Quibus aduertimus quãto in pretio fuerint habiti tũ apud Deum, tum etiam apud populum.

Nazarei vnde dicti?

Verùm NAZARÆI vnde nomen sumpsere? nunquid ab Hebraica radice נזר separationem significante? planè quidem, sed quod rei nostræ nucleum tangit נזך ipsum non modo separationem sed & CORONAM necnon *consecrationem* significat. Vnde verba illa de Iosepho dicta: In vertice NAZARÆI eius inter fratres suos: vertit Chaldæus: *In vertice* CORONATI eius. Ast de Iosephi Nazaræatu suo loco disseremus.

CAPVT II.

Regulæ Vota & Tonsura Nazaræorum per Moysen instituta.

Num. 6. „VIr siue mulier cùm fecerint VOTVM vt sanctificentur & se vo-„luerint Domino consecrare à vino & „omni quod inebriare potest abstine-„bunt.

„Acetum ex vino & ex qualibet alia „potione & quidquid de vua exprimitur „non bibent, vuas recentes siccasque non „comedent cunctis diebus, quibus ex

VOTO

„VOTO Domino consecrantur: quidquid
„ex vinea esse potest ab vua passa vsque
„ad acinum non comedent. Omni tem-
„pore separationis suæ NOVACVLA NON
„TRANSIBIT SVPER CAPVT eius, vsque ad
„completum diem quo Domino conse-
„cratur. SANCTVS ERIT CRESCENTE CÆ-
„SARIE CAPITIS eius. Omni tempore con-
„secrationis suæ super mortuum non in-
„gredietur, nec super patris quidem &
„matris, sororisque funere contamina-
„bitur, quia consecratio Dei sui super
„caput eius est. Omnibus diebus separa-
„tionis suæ sanctus erit Domino. Sin
„autem mortuus fuerit quispiam subitò
„coram eo polluetur caput consecratio-
„nis eius: quod radet illicò in eadem
„die purgationis suæ, & rursum sep-
„timâ; in octauâ autem die, offeret
„duos turtures vel duos pullos colum-
„bæ Sacerdoti in introitu fœderis testi-
„monij; facietque Sacerdos vnum pro
„peccato & alterum in holocaustum
„& deprecabitur pro eo quia pecca-
„uit super mortuo sanctificabitque ca-
„put eius in die illo, & consecrabit
„Domino dies separationis illius, of-
„ferens agnum anniculum pro peccato;
„ita tamen vt dies priores irriti fiant,
„quoniam polluta est sanctificatio eius.

Ista

„Istq; est lex consecrationis. Cum dies
„quos ex VOTO decreuerat complebun-
„tur, adducet eum ad ostium tabernacu-
„li fœderis & offeret oblationem eius Do-
„mino agnum anniculum immaculatum
„in holocaustum & ouem anniculam im-
„maculatam pro peccato & arietem im-
„maculatum, hostiam pacificam, canistrũ
„quoque panum azymorum qui conspers
„si sunt oleo, & lagana absque fermento
„vncta oleo, & libamina singulorum,
„quæ offeret Sacerdos coram Domino &
„faciet tam pro peccato quàm in holo-
„caustum. Arietem verò immolabit ho-
„stiam pacificam Domino, offerens simul
„canistrum azymorum & libamina quæ
„ex more debentur. Tunc RADETVR NA-
„ZARÆVS ANTE OSTIVM TABERNACVLI
„FOEDERIS, CÆSARIE CONSECRATIONIS
„SVÆ, TOLLETQVE CAPILLOS EIVS ET PO-
„NET SVPER IGNEM qui est suppositus Sa-
„crificio pacificorum: & armum coctum
„arietis tortamque absque fermẽto vnam
„de canistro, & laganum azymum vnum
„& tradet in manus Nazaræi postquam
„rasum fuerit caput eius, susceptaque rur-
„sum ab eo eleuabit in conspectu Domi-
„ni: & sanctificata Sacerdotis erunt sicut
„pectusculum quod separari iussum est &
„femur. Post hæc potest Nazaræus bibere
vinum.

„vinum. Ita est lex Nazaræi cum vouerit
„oblationem suam Domino tempore con-
„secrationis suæ, exceptis his quæ inue-
„nerit manus eius. Iuxta quod mente de-
„uouerat ita faciet ad perfectionem san-
„ctificationis suæ.

CAPVT III.

Ioſephi Nazareatus: qualis.

INstitutionem Nazaræorum si quis ad ætatem Moysis referat, opinione meâ non aberrabit à vero. Neque obstat quod ab eodem legislatore, Ioseph ille mancipium & seruus in Ægypto fratrum suorum factiosâ conspiratione diuenditus, & mulieris libidine prurientis mendacio detrusus in carceres, vocetur NAZARÆVS. Facili enim scripturæ interpretamine', sciendum est. Ioseph inibi minimè appellari NAZARÆVM ratione voti vel instituti, sed ratione dumtaxat nudi vocabuli, cùm NAZARÆVS *separatum* significet. Ioseph autem plurifariam separatus est à fratribus: morum integritate, notabantur enim ipsi *de crimine peſſimo*: conuersatione, quia oderant eum, & non poterant ei quidquam pacificè loqui: loco, fuit enim in Ægypto annis plusc-

pluſculis carcere, vbi crinibus intonſis & quaſi conſecratus ac deuotus recluſus eſt. Inſuper hæc verba Geneſeos *in vertice Nazaræi inter fratres ſuos:* vertit Chaldeus *in vertice coronati & conſecrati,* נזר enim non modò *ſeparationem* ſignificare ferunt Hebræi, ſed & CORONAM *& conſecrationem.*

Quod autem Domino Deo ſuo totus fuerit conſecratus, clamor ille meretricantis & lenocinantis femellæ, caſtitatem eius vellicantis, & lacinia pallij à fugitante derelicti, ſatis indicant. Coronatum verò loquentur Ægyptij omnes, quando Pharao *conſtituit eum Dominum domus ſuæ & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ.* Coronatum etiam appellabit, quiſquis aduertet eum diademate regni Iſraël in poſteris ſuis fuiſſe redimitũ. Præterea, Septuaginta Interpretes pro NAZARÆO reddunt: *Præfectum ſiue Ducem & Principem fratrum.* Atque ex hoc loco volunt aliqui Chriſtum vtpote Ioſephi antitypũ vocari NAZARÆVM. Cuius opinionis ſunt S. Ambroſius & Rupertus. vt ſit certè Ioſeph Nazaræus expreſſa figura CHRISTI Domini Nazaræi à Iudæis & à communi hominum vita ſeparati, Deo conſecrati & in ſummum orbis Regem ac Pontificem CORONATI.

Ambroſ. de bened. Patriarch. cap. 11.

CAPVT

CAPVT IV.

Sanctus Paulinus erudito poëmatio docet pueros educandos esse exemplo Samsonis Nazarei: quo quidem super crinibus moralia complectitur.

Sanctum Christo Nazaraeus VERTICEM *Paul. ad Cytheriū.*
Passis adornet CRINIBVS,
Animaque pulchrum CRINE *virtutis caput*
Armetur operosa fide:
Nec huius vnquam desecans nouaculâ
Ascendat in damnum COMÆ.
Et vt ille Samson vi CAPILLORVM *potens,*
Virtute CRINITVS *sacrâ,*
Sternat Leonem strangulatum
Orationum brachijs.
Sed hoc ab exemplo monitus caueat sibi,
Aliena adire fœdera.
Allophyla mulier, mens nisi adsit fortior,
In iura peccati trahet:
Excæcat oculos mentis, & radit caput,
Spolians & exarmans fidem.
Hâc parte Samson nolo sit noster puer
* * * * * *
Licet ille fortis postea receperit
Robur, recretis crinibus.
In cæcitate corporis, mente intuens,
Vocauit vltorem Deum:
Et restituto mox CAPILLIS *robore,*

Prostra-

Proſtrauit hoſtilem domum:
Cuius columnas fortior ſaxis manus
Vt clauſit amplexu graui,
Collapſa fulcris tecta ſubductis humo,
Cecidere in ipſum; ſed tamen
Et morte ipſa præpotens heros Dei
Hoſtes ruinæ miſcuit:
Et gloriosâ morte penſauit ſibi
Vitæ ſubactæ dedecus,
Qui ſeruus hoſte gloriante vixerat.
Et plura moriens interemit millia
Quàm viuus interfecerat.
Imitetur iſtam filius noſter volo:
Sic morte mortem, vt permanens
In carne, carnem vincat & viuat Deo
Peccata carnis opprimens.
* * * * * *
Samſon in iſta parte ſiet qua iugiter,
Sanctus neque acciſus COMAM,
Per tota vitæ tempora, irrupto ſacrum
Pertexat ævum ſtamine,
Et inchoatam ſeruitute infantiam,
Vſque ad ſenectam penſitet.

CAPVT

CAPVT V.

Illustrantur loca scripturæ Leuit. cap. 19. vers. 27. cap. 21. vers. 5. & Ierem. cap. 9. vers. 26. cap. 25. vers. 23. cap. 49. vers. 32.

VNde tot cautiones de coma capitis non radenda neque in *rotundum* adtondenda? Hoc vnico fonte quòd Pagani sese raderent & Ægyptiorum Sacerdotes capillos in sphæram circumciderent. Ecquis nescit Gentiles, cùm se dæmonibus consecrabant, CAPITA IN ROTVNDVM TOTONDISSE, quia censerēt Deos orbiculari figura delectari, vtpote omniū capacissima & perfectissima? Hinc Empedocles rogatus quid esset Deus? respondit: DEVS est CIRCVLVS cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam. Adposisitè, cùm immensitas ac maiestas Dei terminetur nusquam. Vnde suiipsius quasi imaginem mundo cœloque impressit, quos sphæricâ formâ crẹauit. Nec aliâ, sicut opinor, caussâ, Vestæ templum à Numa Pompilio, & Pantheon ab Augusto formâ rotundâ fabrefacta fuere, cùm & Aristoteles testetur veteres gauisos eiusmodi specie templa Dijs dicare. Huius etiam

Vatablus.

Pantheon etiã hodie B. Mariæ Virgini Sacrum, vocatur Ecclesia Rotundæ.

etiam ergò cum Dijs suis sese deuouebant, cæsariem in rotundum adtondebant. Meritò itaque hoc ipsum Iudæis vetuit Dominus & cæremoniali lege cauit. Ita dixi cæremoniali, ideoque iam nobis Christianis abolitâ.

CAPVT VI.

De TONSVRA *S. Iob, eiusdem* STERQVILINIVM *quid & quale: super hoc variè certatum & præter opiniones vulgares quædam adserta.*

TOnsionem capitis fuisse hieroglyphicum cordolij, etiam apud Iudæos, ecce Iob vir magnus & inter suos magnas, tacens ac lugens docebit. Magnatem dixi, quem heroëm Pharaonis Ægyptiorum, eique à consilijs bellicis aliquando fuisse Hebræi Talmudistæ mihi retulerunt cùm Auenione degerem. Certè principem extitisse oportuit, cui tot armenta camelorum, tot pecudum pecorumque millia, tot famulantium greges, tot amici Reges aut Reguli. Hic ille virûm VIR *erat in terra Hus:* qui facultatum deprædationibus ac natorum natarumque suarum auditis mortibus, *scidit vestimenta sua &* TONSO CAPITE *adorauit.*

Rabbi Ioseph Mourdakai Hierosolymita.

Iob. cap. 1.

quod

quod quidem subiungente D. Thomâ, *apud eos qui* COMAM *nutriunt solet esse doloris indicium. Vnde hæc duo signa tristitiæ conuenienter præmissis aduersitatibus respondent: nam scissio tunicæ respõdet amissioni rerum,* TONSIO CAPITIS *amissioni filiorum.* Nec aliud potuit esse significãtius cordolij symbolum, in tantum quottidie quasi lerna crescentis; vt corpore etiam scabioso vndique vermiculante, redactus fuerit vir tantus ad STERQVILINIVM. *D. Thom. in lib. Iob.*

Quid illud porro STERQVILINIVM? non domus, non domi restabat sedes? an obruta, sicut filiorum, ita & patris ædificia? non hoc in scriptura diuina lego. Et quid illi Reguli? tantisne dierum spatijs, cum eo in fætutinâ sedentes ac in STERQVILINIO philosophantes? Ita censent scriptorum nostrorum plerique: quorum sensibus ne subscribam omnimoda vetat ratio. Quid ergo? conqueri meritò mihi posse videntur eruditi quique viri, plusculos in sacram paginam scriptores commentarijs suis tenebras locis obscurioribus offundere potiùs, quàm lucem immittere. Hîc reuera factum esse vehementer me suspicari, modestè malo dicere quàm fortiter contestari. Sensum itaque nostrum paucis verbis apertum æquus Lector aure beniuolâ ex- *Nota de sterquilinio.*

cipiat, & qualiſcumque mei ſenſus cenſor exiſtat.

Nabathæos, Sabæos atque Arabes (quos inter vixit Iob *in terra Hus*) mortuorum ſuorum cadauera in *ſtercoribus* ſepelire conſueuiſſe, teſtatum habemus apud Gregorium Giraldum. *Habebant*, inquit, *cadauera loco ſtercoris, ideoque in ſtercoribus ſepeliebant, ſuperponentes cænum, lutum, deinde terram*. Et Strabo notat ſuperiniecta ſtercora cadaueribus defunctorum. Vnde locum ſepulchralem, STERQVILINIVM meritò vocatum, quis non aduertit?

Iam verò non eſt quod arbitremur magnates olim, anguſtis (moderno Chriſtianorum ritu) loculamentis ſepultos. Cogita mihi primùm Ægyptios Arabibus vicinos. Ecce Reges duo Labyrinthum orbis ſtuporem, ambagibus mille conſtantem erexêre: inibi, XII. areæ: harum ſingulæ porticus XII. habuere quibus ad alias totidem areas patebat ingreſſus, vijs quibuſdam deuijs aut inuijs. Præterea IV. pyramydes in IV. angulis erectæ viſebantur, cum ſuis gradibus & ſcalis. M. 10. cubicula inferiora totidemque ſuperiora adfabrè facta cernebantur Caueæ verò Regum ſepulturis ibidem exædificatæ, non cauéæ ſed palatia marmore &

iaſpide

iaspide parioque lapide constantia: in quibus præter alia decora, varij crocodili (quos sacros appellabant) opere musæo arati. Moles illa Hadriani Romæ, quid nisi sepulchrum eiusdem fuit? Deus bone, quantum aliquando demirati sumus! Mausolæum porro ab Artemisia erectum tale fuit, vt cæteris nomen daret. Quin etiam Christianorum sepulchra, domorũ aut cauearum haud minimarũ instar fuisse docet historia S. Athanasij mensis IV. in *paterno sepulchro* delitescentis. Quid? Christus Dominus, nunquid eo sepulchro repositus, quod etiamnum hodie plurium hominum capax à peregrinantibus lustratur? Ast vt Hebræos Hebræis cõferamus, Abraham ipse in *spelunca* sepultus legitur quàm à magnitudine *duplicem* appellauit sacer textus.

Hodie Castel de S. Angelo.

Vnde colligere est magnũ illum virum Iob, tot abundantem diuitijs, eiusmodi sepulchrũ, negotijs florentibus exædificasse & in miseriarum augustia, TONSO CAPILLO ibidem cum amicis Regulis, vt in sacra pagina legimus, philosophasse. Sensus hîc mens talis esto.

CAPVT VII.

Analogia Nazaræorum Iudæorum & Monachorum Christianorum.

S.Greg. Nazian. Orat. in laud. S. Basilij. S.Greg. Mag lib. 32.Moral. Innoc. c. 4. 46. D.Thom. 2.2. qu. 186.a.6.

NAzaræi Religiosorum nostrorum vitam præsignâsse docuerunt sanctissimi ac eruditissimi viri Gregorius vterque, Innocentius, D. Thomas & alij recentioris notæ scriptores. Ipso siquidem nominis æthymo separationem & CORONATIONEM significante, & Religiosi nostri verè à communi hominum cætu segregati, Regum ac Cæsarum instar coronati sunt, quasi cœlo soloque dominantes: sibi tamen imprimis, vt edomitis passionibus victores cluant. Nam vt ait Eusebius Emissenus: *Religiosus debet esse neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abiectionis, impatiens honoris, pauper in pecuniâ, diues in conscientiâ, humilis ad merita, superbus ad vitia.* Vnde toto aberrant scopo qui claustricolæ effecti solaque tonsurâ cuculloque sui Nazareatus contenti, *ex pristinis moribus nihil abijciunt: quia scilicet non mutantur mente sed veste, non actu sed habitu, non opere sed sermone. In religione enim seculariter viuunt, opinionem virtutis pro virtute*

E.Prosper de vita contemplatiua.

tute quærunt, prædicant magna nec faciunt, accusant vitia nec deponunt: publicè sibi displicere simulant quod occultè committunt.

Præterea, sicut Nazaræi, ita & Religiosi vino omnique gulæ iritamento, quod mentem interturbare vel animam inquinare potest, abstinere profitentur. Voto suo non obaudientem: duriter increpat Bernardus: *Legumina, inquis, ventosa sunt, caseus stomachum grauat: lac capiti nocet: potum aquæ non sustinet pectus: caules nutriunt melancholiam: choleram pori accendunt: pisces de stagno aut de lutosa aqua meæ penitùs complexioni non congruunt. Quale est hoc vt in omnibus fluuijs, agris, hortis, cellulis, reperiri vix possit quod comedas? Puta te quæso Monachum esse, non medicum; nec de complexione iudicandum sed professione. Parce, obsecro, primùm quieti tuæ, parce deinde labori ministrantium, parce grauamini domus, parce conscientiæ; conscientiæ non dico tuæ, sed alterius, qui prope te sedens & edens, de tua singularitate murmurat, & de tua superstitione scandalizatur.* Bernardus super Cãt. serm. 30.

Eandem in rem Hieronymus: *Sit vilis & vespertinus cibus, olera & legumina: interdumque pisciculos pro summis ducas delicijs. Qui Christum desiderat, & illo pane* S. Hieron. ad Paulin. Monach.

vescitur, non quærit magnopere de quàm pretiosis cibis stercus conficiat. & inferiùs paullò: *Nihil in te mediocre esse contentus sum, totum summum, totum perfectum desidero.*

Insuper, Nazaræi etiam acinis abstinere vouebant, ne, scilicet, gradatim ab eis ad vuas, ab vuis ad vinum deuenirent: Religiosi nonne minimam remotissimamque occasionem gulæ peccatisque cæteris etiam debent rescindere, capientes vulpeculas quæ nostrarum animarum sensim sine sensu demoliuntur vineas? Nam vt adpositè quidam: *Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.* Audiamus sanctum Antoninum: *Religiones, quæ cum magnò feruore & vitæ sanctimonia initium habuerunt, minima negligentes traditionum paternarum, in processu temporis paulatim defluxerunt & exinanitæ sunt vsque ad fundamentum in eis, vota scilicet substantialia: sed miseratione diuinâ à LXX. Annis pullulantes refloruerunt, in paucis se reformantibus ad vitam regularem.*

Glossa in illud Iob. 31. Pepigi fœdus cum oculis meis &c.

S. Anton. parte 2. tit. 15. §. 2. qui obijt an. 1459.

Addo etiam, Nazaræis non licuisse lugere mortuos, ac ne parentes quidem. Ita Religiosus carnales omnes adfectus erga

suos

suos adfines & sanguine propinquos auerruncare debet, Christum audiens: *Sequere me: dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* & illud Dauidis: *Audi filia & vide & inclina aurem tuam & obliuiscere populum tuum & domum patris tui & concupiscet Rex decorem tuum.* Matth. 8. 22. Psal. 44.

Notari velim insuper, quòd si polluetur Nazaræus, dies præteriti Nazaræatus irriti censebantur, cogebaturque de nouo, voti tempus inchoare: Deus enim cathenatâ sanctitate delectatur. Quid? nōne ita Religiosus si votiuæ iuratæque sanctimoniæ oblitus graue quidpiam in se admiserit, conatu nouo quasi renascens primamque sanctimoniæ semitam ingressus exclamare debet cum Psalmista: *Ecce nunc cœpi?*

Postremò, peractis voti temporibus RADEBATVR Nazaræus, CAPILLVMQVE in altari holocausti cremabat. *Quo significabatur tunc nos ad perfectionis summum pertingere, cùm sic deteriora vitia superamus, vt etiam cogitationes superfluas à mente resecemus, quas nimirum sacrificij igne concremare, est eas flammâ diuini amoris incendere, vt cor totum in Dei amore ardeat.* S. Greg. 2. Moral. cap. 39.

Hæc & alia plura videre licet apud Viegam Apocalypseos cap. 9. Hieronym.

Platum libr. 2. de bono stat. Religion. cap. 19. Cornel. lib. Numer. capit. 6. & alios.

CAPVT VIII.

Locum Augustini super Simeonis coronâ, mihi non intellectum, viris eruditioribus propono.

Aug. Sermone 13. de Temp. cap. 3. quē legit S. mater Ecclesia in festo purificationis B. Mariæ.

„SIc olim prædictum est: Mater Sion „dicet: *Homo & homo factus est in ea* „*& ipse fundauit eam Altissimus*. O om„nipotentia nascentis! O magnificentia „de cœlo descendentis! Adhuc in vtero „portabatur, & ex vtero matris à Ioan„ne Baptista salutabatur: in templo præ„sentabatur & à SIMEONE sene annoso, „probato, CORONATO, agnoscebatur. „Tunc cognouit, tunc adorauit, tunc „dixit: *Nunc Domine dimittis seruum* „*tuum in pace; quia viderunt oculi mei sa*„*lutare tuum.*

CAPVT

CAPVT IX.

Agrippa Iudæus Tiberio reus agens Romæ, capillum demittit, quem à Caio Caligula liberatus demetit & tondet.

ANno Domini XXXVIII. Coss. Q. Plautio Plautiano & Sex. Papinio Gallieno, AGRIPPA Iudæus filius Aristobuli, Herodis senioris nepos, cùm aliquamdiu Romæ versatus esset in officijs primùm Drusi, inde verò Caij, Tiberij Imperatoris nepotum, delatione liberti sui Eutychi quòd mortem Tiberio & Imperium Caio precatus esset, eodem Tiberio agente in Tusculano, mancipari vinculis iubetur; vbi per sex menses vsque ad eiusdem Tiberij obitum INTONSO CAPILLO, more reorum mansit. Rem gestam & Agrippæ TONSIONEM narrat his ferè verbis Iosephus: Agrippa receptus à Caio in intimam amicitiam, quodam die dum vnà gestatur incidit in cõfabulationem de Tiberio: & quia soli erant, præcatus est Tiberio, vt quàm primùm principatus locum Caio digniori cederet. Has voces excepit Eutychus Agrippæ libertus, & auriga. ac tum siluit. Insimulatus deinde à patrono, quasi

Rei Iudæi Romano more vrbe ti.

Ioseph. lib. 18. Antiq Iud. cap. 8.

quasi vestem ei furto subduxisset, sicut reuera subduxerat, & ex fuga retractus cùm perductus esset ad Pisonem vrbi præfectum, rogatus fugæ caussam, ait se habere secreta quædam, quæ cuperet indicare Cæsari, ad salutem ipsius pertinentia. Itaque vinctus ad eum ductus, patronum suum adcusare incipit. roganti Imperatori quidnam contra eum adferat, à quo libertatem acceperit, respondit: Domine, vectabantur in curru Caius iste & Agrippa quos vides (vterque enim præsens tunc aderat) me sedente illis ad pedes: vbi post multos sermones vltrò citroque habitos, AGRIPPA his verbis ad Caium vsus est: O si iam tandem dies illa veniat, quâ senex iste decedens, te orbi relinquat principem! nihil enim huic voto obesse posset nepos eius Tiberius, quē tu facilè opprimeres. Tú verò ad publicam orbis fælicitatem mea quoque priuatim accederet. His verbis Tiberius facilè credens versus ad Macronem: Huic, inquit, injice vincula. At Macro non satis intelligens, quemnam ille diceret (neque enim de Agrippa suspicari tale quid poterat) cunctabatur donec exactiùs rem perciperet. Interim Cæsar aliquantisper gestatus per circum, denuo Macronem appellans. An non, inquit, iussi

vt

vt huic vincula inijcias? quo ſciſcitante, cui tandem? Agrippæ, inquam, ille reſpondit. AGRIPPA verò ad preces verſus rogabat veniam, ſed fruſtra, prætorianis ita vt erat, purpuratum in vincula trahentibus. quo ex tempore CAPILLO INTONSO ſex circiter menſes permanſit.

Interea temporis, Tiberius modico primùm languore tentatus, ac inualeſcente iam morbo deſperabundus, Caium miro quodam fato ſucceſſorem Imperij inuitus ac nolens denominat; & moritur, cùm imperaſſet annos XXII. menſes V. dies XIII.

Romani, nunciato eius obitu, vehementer quidem gauiſi fuere, non tamen rumoribus planè auſi credere, ne ſi intempeſtiuè clauſum animo gaudium publicè adaperirent delatorum operâ in perniciem apertam irruerent, haud ignari quantum ſubeſſet ſpei fruſtratæ periculum, ſi tyranni mortem fortaſſis incertam, hilarâ fronte exciperent.

Marſias verò Agrippæ libertus, cognitâ morte Tiberij, curriculo ad patronum properauit, lætiſſimum ei nuncium afferens. quē cum offendiſſet perentē balneū, admoto capite, ſermone Hebraico: *mortuus eſt*, inquit *Leo*. Id ille ſatis intelligens, inopi-

inopinatoque, perfusus gaudio: At tibi respondit, tum pro cæteris officijs, tũ pro hoc nuncio, quam tandem dignam gratiam referam, si modò vera nuncias? Tum Centurio qui custodiæ præerat, animaduertens tam Marsię festiuum aduentum, quàm insecutã illius verba hilaritatem AGRIPPÆ, suspicatusque noui aliquid accidisse, rogauit: Quâ, de re inter se cõferrent. Cui cùm aperuisset omnia, quasi iam familiari, vincto suo tantam fælicitatem gratulari cæpit, cænamque lautam adposuit. Verùm dũ epulis simul indulgetur & poculis, ecce superueniens quidam, adfert incolumem esse Tiberium. quibus verbis territus grauiter Centurio, capitalis culpę sibi cõscius, quòd audito Cæsaris obitu, vincto conuiuiũ exhibuisset, illicò AGRIPPAM lectulo deturbans: Tune, intonat, impunè falles, Imperatoris mortem mentitus, & non capite lues hanc linguæ petulantiam? & cum dicto, vinciri iubet hactenus solutum, totamque eam noctem in his malis AGRIPPA exegit.

Vide aleã Fortunæ.

Postera demum luce, certissima de morte Tiberij nuncia increbuere, elapsisque haud multis diebus, Caius Imperator adclamatus, accersitũ ad se AGRIPPAM TONDERI IVBET, vestemque mutare præcipit. Imposito deinde in caput eius diademate,

tetrar-

tetrarchiæ quæ Philippi fuerat, Regē constituit, adiectâ Lisaniæ quoque tetrarchiâ, & pro ferreâ catenâ, eidem paris ponderis auream dedit.

CAPVT X.

S. Paulus, RASO CAPITE, Nazaræorum munus implet: & quare. eiusdem Apostoli forma & statura qualis.

ANno Domini LVIII. Imperatoris Neronis II. Petri XIV. Olympiadis CCVIII. An. IV. Agrippæ Iudæorum Regis An. XII. Q. Volusio & P. Cornelio Scipione Coss. Cōuentus habitus est Hierosolymis, cui etiam PAVLVS interfuit. In eo, cùm seniores aduertissent minùs opportunum tempus interdicendi Christianis (quorum multa millia ibidem agebāt) *legalia*, consultum esse visum est vt PAVLVS Gentium Apostolus VOTVM exoluturus & CAPILLVM cum cæteris NAZARÆIS positurus, Templum ingrederetur; quo se Mosaicæ legis obseruantissimum probaret.

Admiranda plane res & consideratione dignissima, PAVLVM, qui non ab homine sed ab ipso Christo munus Euangelicū acceperat, quique eâ de caussâ Petro Apostolorum

ſtolorum principi *in faciem* Antiochiæ reſtiterat, tantum ſeniorum modò conuentui detuliſſe. Stupenda res, inquam, eum qui ſæpius ſuis antehàc epiſtolis, de legalibus ablegandis aperta ſuffragia dederat, ſententiamque ſtabilierat, ſic Synodo obaudiſſe, vt eiuſdem arbitrio per diſpenſationem ea præſtaret, quæ nonniſi à ſanctioribus Iudaicæ legis obſeruatoribus exhiberi munera conſueuerant. Hiſtoriam paucis aperit Lucas rei geſtæ teſtis oculeiſſimus & Pauli comes: *Cùm veniſſemus Hieroſolymam libenter exceperunt nos fratres. Sequenti autem die introibat* PAVLVS *nobiſcum ad Iacobum: omneſque collecti ſunt Seniores. quos cùm ſalutaſſet, narrabat per ſingula, quæ Deus feciſſet in Gentibus per miniſterium ipſius. At illi, cùm audiſſent, magnificabant Deum, dixeruntque ei: Vides, frater, quot millia ſunt in Iudæis qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt legis. Audierunt autem de te quia diſceſſionem doceas à Moyſe, eorum, qui per Gentes ſunt, Iudæorum, dicens non debere eos circumcidere filios ſuos, neque ſecundum conſuetudinem ingredi. Quid ergo eſt? vtique oportet conuenire multitudinem: audient enim te ſuperuixiſſe. Hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor* VOTVM

Act. 21.

habentes

habentes super se, his assumptis sanctifica te cum illis, & impende in illis vt RADANT CAPITA; *& scient omnes quia quæ de te audierunt falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. De his autem qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus iudicantes vt abstineant se ab Idolis, immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Act. 15. Azo. 29.

Tunc PAVLVS *assumptis viris, posterâ die purificatus cum illis intrauit in Templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio.*

Quæ autem essent huius officij cerimoniæ sacrique ritus à lege præscripti, superiùs apertè satis docuimus, nimirum vt abstinerent à vino, CAPVT RADERENT, & completo Nazaræatus tempore, agnum, ouem, & arietem offerrent in templo, CAPILLOSQVE DEPONERENT QVI CREMARENTVR vnà cum Sacrificio pacificorum.

Sed quoniam certum tempus quo abstinerent à vino NAZARÆI, lege definitum minimè reperitur, quid his temporibus ex consuetudine communiter actitarent, docebit Iosephus: *His autem qui morbo vel alijs necessitatibus implicantur,* Ioseph. de bel. Iud. lib. 2. c. 15

cantur, mos est orare per XXX. dies antequam immolarent hostias, abstinere quoque à vino & CAPILLOS RADERE.

Paulus an abstemius.

Verũ quomodo vnà cũ Nazaræis PAVLVS ea omnia in Tẽplo exhibuisse potuerit officia, cùm inopinatò & ante diẽ tantùm, vt id cum alijs faceret præmonitus foret? quonam enim pacto XXX. dies abstemius perseuerauerit? Ex his profectò colligi planè posse videtur PAVLVM, qui magna ex necessitate Timotheo lãguenti stomacho, prohibuit aquã bibere, & vt modico vino vteretur, præcepit, à vino penitus temperasse: sicque ei, (vtpote semper abstemio) haud impossibile fuit Nazaræorum in templo, idque extemplò, munus explere. Alioquin, dicendus esset PAVLVS quasi in theatro personam induisse, eumque scenicè efficto simulatæ sanctitatis mendacio Iudæis illusisse: quæ res indigna prorsus non tantùm Apostolo tanto, sed etiã quolibet Christianæ synceritatis professore. At seniores forsan illi legem æmulantes, PAVLO etiam malè parato Nazaræorum numeros explere suaserint ac persuaserint? absit.

Hæc itaque dum agerentur vnà insuper cum Nazaræis & PAVLVM CAPILLIS ABRASVM esse, imo etiam vt cæterorum capilli raderentur, curam impendisse

satis

satis acta declarant. Vnde etiam D. Hieronymus hâc eum interpellat apostrophe: *O* PAVLE, *& in hoc te rursum interrogo: Cur* CAPVT RASERIS, *cur nudipedalia exercueris de cæremonijs Iudæorum? cur obtuleris sacrificia & secundum legem hostiæ pro te fuerint immolatæ? Vtique respondebis: Ne scandalizarentur qui ex Iudæis crediderunt.* *Act. 21.* *Hieron. Epist. 89.*

His ita de PAVLI RASVRA elucidatis ad eiusdem *effigiem* veniamus, quam quidem natiuis coloribus depictam daturi, adtentè audiamus ea quæ Triephon Critiam catechumenum instituens effutit apud Lucianum, quem veriùs Tenebrianum appellaueris: *Ego*, inquit, *docebo te quid sit vniuersum, & quid fuerit ante omnia, & quæ item constitutio, quo duce corpus vniuersi. Quãdo enim me* GALILÆVS *ille conuenit* RECALVASTER, NASO AQVILO, *qui tertium vsque ad cælum per aërem ingressus est, quæque optima & pulcherrima sunt inde didicit: per aquas nos renouauit, in beatorum vestigia insistere fecit, & ex impiorum regionibus nos reduxit.* Quem equidem hisce coloribus atque notis, non alium quàm Paulum aculeato penicilli sui stilo delineasse, omnes credimus satis intelligere. Nam alium aliquem ex Apostolorum vel Christianorum grege, *tertium cœlum* conscendisse nouimus *Formæ S. Pauli.* *Lucian. in Philop.*

mus neminem.

Staturam verò ipsius haud proceram fuisse, at potius breuiorem, tum ea quæ ipse de se, tum quæ Chrysostomus scribit
2.Cor.10. facilè ostendunt. Ad Corinthios enim secundo, exprimens quæ de se aliqui iactarent, refert his verbis: *Epistolæ inquiunt*
Chrysost. de princ. Apost.to.5. *graues sunt, præsentia autem corporis infirma.* Quibus verbis adludens Chrysostomus: *Qui* TRICVBITALIS *est, cælum attingit.*
Niceph.l. His omnibus consentiunt quæ demum
2.cap.37. à Nicephoro narrantur: PAVLVS CORPORE *erat* PARVO, *&* CONTRACTO *atque* INCVRVO, *&* PAVLVLVM INFLEXO, FACIE CANDIDA *annosque plures præ se ferente, &* CAPITE MODICO, OCVLIS MVLTA *inerat* GRATIA, SVPERCILIA *deorsum versus vergebant,* NASVS *pulchrè* INFLEXVS *idemque* LONGIOR, BARBA DENSIOR *& satis* PROMISSA, *eaque non minus quàm capitis* COMA CANIS RESPERSA *erat*. Verùm vnde hæc desumpta? non aliunde quàm ab antiquis
Euseb.cap. imaginibus quarum libro III. rursum me-
14.lib.7. minimus ex Eusebio, Petrum depingentes.

CAPVT

CAPVT XI.

Crinium comarumque luxibus iritatus Deus, Iudæis mulieribus caluitium interminatur. Vltiones diuinæ ea de cauſſa variæ.

VNicus mihi pro omnibus erit hac in materia propheres Iſaias, cuius ore dura diraque minitatur Dominus puellis ac mulieribus Hebræis comarum veſtiumque luxu diffluentibus : *Pro eo quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant & ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant;* DECALVABIT *Dominus* VERTICEM *filiarum Sion & Dominus* CRINEM *earum* NVDABIT. *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas & torques, & monilia & armillas & mitras & diſcriminalia & periſcelidas & murenulas & olfactoriola & inaures & annulos & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria & palliola & linteamina & acus & ſpecula & ſyndones & vittas & therîſtra: & erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro* CRISPANTI CRINE CALVITIVM *& pro faſcia pectorali, cilicium.* Vix vllo alio ſcripturæ loco repe- Iſaiæ 3.16

riatur tam prolixa aduersum muliebres luxus inuectiua. Causſam reddit Chryſoſtomus immodicam vxorum mollitiem, per quam viros magna plus parte inducebant ad rapinæ nequitiam. quod & ſuperiùs paulo inſinuans ait: *Mulieres dominatæ ſunt eis*. Iuuat præfatam increpationem Prophetæ verſibus pandere:

Ioan. Carpenteius paraph. in Iſaiæ cap. 3. pag. mihi 37.

Ecce tuas, male ſana Sion, nataſque nuruſque
Turrito erectas collo & ceruice ſuperba
Sublimes, oculiſque loqui nutuque peritas,
Et manuum plauſu doctas, motuque petulcum
Compoſito ad numerum molles ſaltare choreas,
Ipſe Deus, Deus ipſe, nouo decorabit amictu:
Nam quæ nunc COMPTIS *geſtant laudata* CAPILLIS
TEMPORA, CALVITIES *mala* DEGLABRABIT, *& altum*
Area formoſi capitis deradet honorem;
Tum male nudatas mœrorque pudorque ſequetur
Nec ſatis hoc, pedibus Dominus ſuriſque ſuperbis
Detrahet auratis ſandalia fulgida vinclis;
Detrahet & fronti bullas & tortile læuî
Aurum ceruici & baccata monilia collo,
Quodque COMAS *rutilum flauas diſcriminat aurum.*
Armillas manibus capitique ligamina mitræ,

Faſ-

Fasciolasque auro textas & murice, pexasque
In nodos auro virgas; & lento argento,
Crurũ aptũ tegmen rapidis dabit ignibus vri.
Quid tot suffitus, tot odoramenta sagacis
Delicias naris referam? Quid prodigiosis
Sumptibus ad fœdos reparata tot vnguina luxus?
Hæc vltra oceanum magnis quæsita periclis,
Protinus absumet diuini flamma furoris.
Detrahet auriculis aurum, discerpet inaures,
Fronti adimet gemmas, & transparentia filo
Suppara pertenui, prodendis vtile membris,
Qualia sunt, tegmen. Muliebris denique mundi
Cunctum instrumentum, bombycina tenuia, acusque
Ex auro solido FINGENDIS CRINIBVS *aptas.*
Et specula & vittas, multumque operosa theristra
Proterent irati feruens vindicta tonantis.
Atque vbi odoriferis flagrant nunc omnia succis
Compita, fœtor erit nullâ medicabilis arte.
Matronas laqueus, pro zona diuite, cinget;
Fasciaque eminulas compescere texta papillas,
Virgineos non vltra sinus constringet: at illi

Succedet saccus niger & cinere obsitus atro.

I NVNC, FINGE COMAS, VT PRO CRISPANTE CAPILLO
CALVITIVM DEFORME FERAS, TVRPEMQVE SENECTAM.

Plinius & Celsus lib. 6. cap 6.

Porro poëta per *aream*, capitis vitium intelligit, quo pili decidunt, cuius etiam meminere Plinius ac Celsus.

Quòd autem eiusmodi capillorum & comarum illecebris ad iracundiam prouocatus Dominus, adeo grauia Iudæis interminetur, inde factum est, vt variè varijs temporibus insurrectum sit aduersum luxus fœminarum, quas omninò *velari* voluere prudentes quique rerum publicarum moderatores. Hanc certè legem inter cæteras suis Corinthijs etiã indixit Paulus.

Mulieres Gentiles Hebreæ & Christianæ velandæ.

Nam sicut optimi legislatoris officium ac munus est, non tantum egregijs moribus rempublicam instituere, sed eiusdem populi decentem corporis habitum simul componere: eodem sanè modo, non modò Christiani, sed & Iudæi imò etiam pagani, haud virgines tantùm suas, sed & vxores velatas esse voluere. De Gẽtilibus quidem exemplum habetur pernobile: fe-

De Creüsa memorat Clem. Alex in pæd. lib. 3.

runt enim Creüsam vxorem Æneæ, propter insignem honestatem, ne cùm Troya quidem caperetur, perterritam se velamine detexisse, sed etiam dum ab incendio fugitaret

fugitaret mansisse *velo tectam*. De Romanis mulieribus id æquè claret ex Valerio: *Horridum C. quoque Sulpitij Galli maritale supercilium: nam vxorem dimisit, quòd eam* CAPITE APERTO *foris versatam cognouerat*. Tacitus quoque hæc de Poppæa Sabina: *Rari in publicum egressus, idque* VELATA PARTE ORIS, *ne satiaret adspectum, vel quia sic decebat*. De Arabibus, habes apud Tertullianum: *Iudicabunt nos Arabiæ fœminæ ethnicæ, quæ non* CAPVT *tantùm, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato, contentæ sint dimidiâ frui luce, quàm totam faciem prostituere*. De Lacænis mulieribus omnium laudatissimis illud à Plutarcho scriptis mandatum habetur, virgines apertâ facie, vxoratas verò mulieres velatas prodire solitas: eâ nimirum ratione vt si illæ maritos inuenirent, istæ verò viros habentes alijs placere non curarent. Sed sicut & probro adscribitur Lacænis virginibus quòd supra genua vestes deductas induerent, ita nec laudãtur quòd sic virgineus pudor quasi venalis expositus prodiretur. Libet in hoc libelli pyctacium quasdam æui nostri Lacænas CAPITIS HABITV plane demirandas ab Hesperiæ finibis aduocare:

Valer. lib. 6. cap. 3. de sen. 13.

Cornel. Tac. lib. 14.

Tert. de Veland. Virginib.

Hispaniam à Gallia diuiserunt olim & hodie montes, quos ab crebris fulminum ignibus

Cantabria in montibus Pyrenæis.

Pyrenei vnde dicti.

ignibus Pyrenæos appellauere. Horum incolas *Cantabros* nominant sicut moribus ita & vestibus à cæteris Hispanis distinctissimos. Intendunt viri rebus nauticis, & militiæ Neptuniæ, docti pariter comminùs & eminùs fundis ac iaculis hostes ferire. Patrijs limitibus lubentes & tanto numero excedunt, vt sequioris sexus homines duodecim faciliùs reperias, quàm mares quatuor. Etiamnum hodie tenacissimos esse censent auitæ libertatis. Auitæ dixi, quàm fuso sæpiùs cruore tutatum iuerunt. Quin & suos crudeli misericordiâ manibus generosis trucidabant, ne in manus hostiles deuenirent & in patriæ libertatis discrimen ruerent. Miserum simul & mirum illud, apud Munsterum, facinus: *In Cantabria cùm necessitas belli vrgeret, trucidabant matres proprios filios, & vorabant: ne scilicet inciderent in manus hostium. Legitur denique puerum quendam parentes suos & fratres* (vide impian & piaculo dignam pietatem) *in captiuitate trucidasse, iussus ad hoc à patre qui gladium porrexit, vt illud faceret.*

Cantabrorum mores & studia.

Mira libertatis tenacitas.

Munsterus lib. 2. Cosmog. pag. mihi 61.

Mulieres Cantabræ.

Ipsæ etiam fœminæ masculum animum incessu virili præ se ferunt: quarum corpora valentioribus membris exurgunt quã cæterarum Hispaniæ mulierum. Negotiantur domi forisque instar nostratium belgicarum;

gicarum; nec vllis diffidentiæ repagulis intra parietes continentur, maritis nullo inibi philautiæ fritillo prurientibus: pudicitiæ etenim cultrices sunt & pudori deuotissimæ. Hinc vestitus earum simplex & non venatiuus oculorum malè castorum.

Puellæ Virgines rasæ in CORONAM.

Innubiles puellæ RASO CAPITE sine velis, sine mitellis publicitùs & vicatim incedunt, eâ capitis rasurâ, quasi virginitatis symbolo propalam gloriantes. Hinc, si qua pudicitiæ naufragium fortè passa fuerit, patrijs legibus, extemplò, capiti nubem induere & capillos promittere cogitur. an non cõtractum peccato suo pudorem tectura? hoc reor. Virginum eiusmodi quasdã fronte capillatas notaui, cùm per montes Pyrenæos in Castiliam proficiscerer, & ab ea mare conscensurus portum peterem Cãtabris *Portugalette* vocitatum, in Gallias nauigaturus. Alias insuper circumducto crinium rariorum circulo rasas in CORONAM notat MSS. oculati pariter testis D. Antonij de Monde viri nobilis & Equitis aurati. Delineatã etiam habes apud Franciscum Desertz eo libello quem Henrico Borbonio Principi Nauarræo, postea Galliarum Regi eius nominis IV. dicauit anno Dom. M. DLXII. eam licet inibi non adtondeat in coronam.

Liber MS. in quarto pag. 115.

Quærat

Quærat hic forsitan aliquis quid causſæ tandem subsit vt contra communem omnium gentium morem, eo capitis reuelati habitu procedant Cantabræ virgines? equidem nescire me fatebor ingenuè; suspicari tamen licet eas eiusmodi ritum à Lacænis traditum in patrias leges transfudisse.

Cęterum, vt vnde discessit eodem reuertatur oratio, Iudæas etiam mulieres crinibus capillisue nequaquam adparentibus, ast capite decenter velato processisse, patet ex Tertulliano, qui de veteribus traditionibus agens: *Apud Iudæos*, inquit, *tam sollenne est fœminis eorum* VELAMEN CAPITIS *vt inde noscantur*. Nõ ita sanè apud Corinthios antequam Paulus ijsdem Dei verdum dictauisset. Tertullianum huc adpello: *Hodie Virgines suas Corinthij* VELANT. *quid docuerint Apostoli, quid didicerint adprobant*. Erat enim vt idem edocet, *velum* virginitatis insigne. Vnde admirari licet stupẽdam omninò puellarum eiusdem patriæ conuersionem, maximè si quis earum antea salacitatem audiat ex Strabone: *Fanum Veneris Corinthi ita fuit locuples, vt plures quàm mille habuerit sacrorum famulas meretrices, quas Deæ viri mulieresque dedicarunt. Ob hæc igitur & magna hominum multitudo in ea vrbe & diuitiæ fuerunt: nauc-*

Tertull. de coron. Milit. cap. 4.

Tert. de Veland. Virg. ca. 9.

Strabo libro 8.

cleri

cleri enim sua facilè prodigebant. Vnde adagio locus: Non est Corinthum adire cuiuis integrum. Sed & Suidas: *Cotys dæmon apud Corinthios colitur præses effœminatorum & impudicorum, siue illi ob turpem quæstum, siue ob fœdam libidinem aliaue de caussa pudicitiam prostituant, cuiusmodi sunt Clisthenes & Timarchi.* Paulus igitur earum puellarum iam Christo per fidem famulantium capita sic voluit esse composita, vt crinibus nusquam adparentibus & ornatis velamine tecta, Hebræorum more, forent. Quin & Timotheum suum monens omnem illum à fœminis superfluum lasciuumque amputauit ornatum, tanquam concupiscentiæ fomitem: *Volo similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se,* NON IN TORTIS CRINIBVS, *aut auro, aut margaritis, vel veste preciosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatẽ per opera bona.* Docuit eadem & Petrus. Sed quid Christianæ religionis pædagogus? quonam modo ornatũ tẽperat vt luxum euitet? *Mulieribus* CRINES *mollire sufficit, et tenui aliquâ fibulâ* COMAM *alligare frugaliter: simplici cultura pudicas* COMAS *in veram & germanam pulchritudinem alentibus. Meretricij autem* PILORVM *plexus & catenarum nexus, cùm eas deformes reddunt, tum etiam* PILOS *discerpunt artificiosis*

Suidas verbo Κοτύς.

1. *Tim.* 2.

1. *Pet.* 3.

Clemens Alexand. pædag. lib. 3. cap. 11.

cioſis inſertis vinculis euellentes.

Caſtigatio luxus veſtium & capillorũ.

Porrò dubites vtrum magis ſtilo perſecuti fuerint Prophetę Moſayci & patres Chriſtiani, luxum veſtium an venatiuum concupiſcentiæ capillitium. Quid autem Patres loquor aut Prophetas? Deus ipſe vindicante dextrâ noſtros olim atauos egregiè proſecutus eſt, quando immiſsâ cælitus plagâ Belgicum hoc quod calcamus ſolum, miris quibuſdam ac miſerandis modis afflixit. Huius meminit Sigebertus hoc verborum tenore. *Sigebert. ad an. 1089.* *Annus M.LXXXIX. peſtilens maximè in Occidentali parte Lotharingiæ: vbi multi* SACRO IGNE *interiora conſumente computreſcentes, exeſis membris inſtar carbonum nigreſcentibus aut miſerabiliter moriuntur aut manibus & pedibus putrefactis, truncati miſerabiliori vitæ reſeruantur, multi verò neruorum contractione tormentantur.* Ita quidem anno præfato ſæuijt ignis ille ſacer in Occidentali parte Lotharingiæ, qui ſubſequentibus temporibus etiam noſtrates crudeliter inuaſit. Tornacenſes intelligo, quorum miſeram miſeriam hoc poëmatio placuit exponere:

Peſtis deſcriptio quaſi Ouidiana.

Principio cœlum ſpiſsâ caligine terras
Preſſit & ignauos incluſit nubibus æſtus.
Adgreſſa eſt miſeros damno grauiore colonos

Peſtis

Peſtis, & in magnæ dominatur mœnibus vrbis.
Viſcera TORRENTVR primò, FLAMMISQVE fatiſcunt,
Indicium rubor eſt, & ductus anhelitus igni.
Putrida membra iacent & putrida. Arentia ventis
Ora patent, auræque graues captantur hiatu.
Non ſtratum non vlla pati velamina poſſunt,
Dura ſed in terra ponunt præcordia, nec fit
Corpus humo gelidum, ſed humus de corpore feruet.
Nec moderator adeſt, inque ipſos ſęua medentes
Erumpit clades, obſuntque autoribus artes:
Quo propior quiſque eſt, ſeruitque fidelius ægro,
In partem lethi citiùs venit; atque ſalutis
Spes abijt, finemque vident in funere morbi.
Semianimes errare vijs dum ſerpere poſſent,
Adſpicerres, flentes alios terraque iacentes,

Laſſaque

Lassaque versantes supremo lumina motu:
Membraque pendentis tendunt ad sydera cœli,
Hic, illic, vbi mors deprenderat exhalantes.
Quo se cumque acies oculorum flexerat, illic
Vulgus erat stratum, veluti cùm putrida moris
Poma cadunt ramis agitatæque ilice glandes.

Quid multis moror? Ipsa ciuitatis cartophilacia, grassantem hanc luem, luis caussam eiusque remedium valde Christianum exponunt subsequenti narrationis serie:

MS. Cartophilacia & monumenta Ecclesiæ Tornacensis.

„Circa annos Domini M. LXXXXII. „Apostolicæ sedis Præsidente Papa Vr„bano, Remensi verò Archiepiscopo Re„naldo, Tornacensi ac Nouiomensi E„piscopo Rabbodo, Francorum Regnum „regente Philippo, & Romanorum Im„peratore Henrico, celebris PROCESSIO „percircuitum vrbis TORNACENSIS ab eo„dem Episcopo Rabbodo fuit instituta, „pro IGNEA PESTILENTIA, quæ diuino iu„dicio prouinciam longè lateque nimis „oppresserat, adeo vt plurimorum mem„bra publicè comburi viderentur. quam-

obrem

»obrem non solùm de ipsa prouincia, ve-
»rùm etiam de remotis, longeque positis
»regionibus, eodē igne succensi ad Eccle-
»siam beatæ MARIÆ in vrbe Tornacensi
»constructam, quòtidie congregati defere-
»bantur. Et probatum proculque prola-
»tum, ac diuulgatum erat, quòd Dei mi-
»sericordiâ quàm plures iam sanatos fuis-
»se in ea viderētur, ipsa Ecclesia tantorum
»infirmorū multitudine replebatur, quòd
»mirati sunt vniuersi; nec ingredi poterāt
»fores Ecclesiæ superuenientes infirmi, sed
»decumbebant ante portale, & illâ occa-
»sione modernis adhuc temporibus, IMA-
»GO PORTALIS Ecclesiæ nuncupatur, IMA-
»GO INFIRMORVM. Sic cùm vndique fuis-
»set infirmis repleta Ecclesia, & quòd ni-
»mium fætorem, seu nidorem infirmorum
»nullus ingrediētium sufferre valeret, Ca-
»nonici necessitate compulsi, decreuerūt,
»vt quorum iam pedibus combustis tibię
»succensæ fuerant, sanitatisque eorū nulla
»spes supererat, de ipsa Ecclesia eijceren-
»tur; qui ita electi, quoniam nec in alijs
»parochialibus Ecclesijs pro eorum intol-
»lerabili nidore recipiebantur, ad S. MAR-
»TINI Ecclesiam illo tempore vacuam &
»solitariam, à proximis suis & caritatiuis
»deferebantur, ibique eiusdem ignis com-
»bustione tandem defuncti sepeliebantur.

Cuius

INSTITVTIO SVPPLICATIONIS TORNACENSIS.

„Cuius pestis immanitate permotus su-
„pradictus Rabbodus Episcopus, totius
„prouinciæ populum ad S. Mariæ Eccleſiã
„congregari fecit. FACTOQVE CVNCTIS
„GENERALI SERMONE, omnibuſque ni-
„nium perterritis, PLVSQVAM MILLE IVVE-
„NVM COMAS TOTONDIT VESTESQVE PER
„TERRAM DEFLVENTES, & libidini potius
„quàm neceſſitati ſeruiẽtes præcidit, dein-
„de vniuerſis vnâ ſextâ feriâ integrâ vſque
„ad noctem ieiunare præcepit, ita vt nec
„etiam infantuli nutricũ papillas ſugerent.

„Præterea inſequente S. Crucis Exalta-
„tione, populum vniuerſum cum ſancto-
„rum pignoribus, nudis pedibus, totam
„vrbem forinſecus proceſſionem facientes
„circuire conſtituit. Sicque iram Dei in
„miſericordiam conuerſam experti ſunt
„cuncti, multis pro ea orationibus & e-
„leemoſynis factis. Quæ proceſsio in pre-
„fata ſanctæ Crucis Exaltatione, per eiuſ-
„dem vrbis circuitum, vſque in hodiernũ
„diem ſeruatur, ita vt de circumpoſitis re-
„gionibus nonnumquam ad eam ferè cen-
„tum millia plebis diuerſi ſexus & ætatis
„congregari cernantur.

Aduertiſti mi Lector, iuuenes fœmineo more cõptulos, cincinnatulos, calamiſtratos, decaluari: quibus etiam quadraſſet illa pædagogi Chriſtiani increpatio in mulie-

res

res icta: *Trahere vestes ad sũmos vsque pedes demissas, valde est arrogãs & superbum: quod ambulandi actionem impedit: cùm vestis instar verriculi quæ in soli sunt superficie sordes secum adtrahat; ne fractis quidem & eneruatis saltatoribus qui cinædicam turpitudinem, mutam in scenam transferunt, vestem cum tanto dedecore diffluentem conspicantibus, quibus exquisitæ vestes fimbriarumque dilationes & curiosi figurarum numeri illiberalem ac sordidam Syrmatum mollitiem indicant.* Clement Alex. pædag. lib. 3. c. 10.

CAPVT XII.

Diuinum Moysis edictum de leprosis: capillitij & Barbæ eorum lustrationes & analogia. Item de quodam eorundem instituto monastico nostrate.

HOmo, in cuius cute & carne ortus fuerit diuersus color siue pustula, aut quasi lucens quippiam, id est plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius. Qui cùm viderit lepram in cute, & PILOS in album mutatos, colorem ipsamque speciem lepræ humiliorem cute & carne reliqua, plaga lepræ est, & ad arbitrium eius separabitur. Sin autem lucẽs candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris pri-

stini recludet eum sacerdos septem diebus. Et considerabit die septimo: & si quidem lepra vltrà non creuerit, nec transierit in cute priores terminos rursum recludet eũ septem diebus alijs. Et die septimo contemplabitur: si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum, quia scabies est: lauabitque homo vestimenta sua, & mundus erit. Quòd si postquam à sacerdote visus est, & redditus munditiæ, iterum lepra creuerit, adducetur ad eum, & immunditiæ condemnabitur. Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem, & videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, & CAPILLORVM mutauerit aspectum, ipsa quoque caro viua apparuerit: lepra vetustissima iudicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos, & non recludet, quia perspicuæ immunditiæ est. Sin autem efflorucrit discurrens lepra in cute, & operuerit omnem cutem à capite vsque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum cadit, considerabit eum sacerdos, & teneri lepra mundissima iudicabit: eò quod omnis in candorem versa sit, & idcirco homo mundus erit. Quando verò caro viuens in eo apparuerit, tunc sacerdotis iudicio polluetur, & inter immundos reputabitur. Caro enim

viua

viua, si leprâ aspergitur, immunda est. Quòd si rursum versa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit, considerabit eum sacerdos, & mundum esse decernet: Caro autem & cutis in qua vlcus natum est & sanatum, & in loco vlceris cicatrix alba apparuerit, siue subrufa, adducetur homo ad sacerdotem: qui cùm viderit locùm lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos versos in candorem, contaminabit eum: plaga enim lepræ orta est in vlcere. Quod si pilus coloris est pristini, & cicatrix subobscura, & vicina carne non est humilior, recludet eum septem diebus. Et si quidem creuerit, adiudicabit eum lepræ. Sin autem steterit in loco suo, vlceris est cicatrix, & homo mundus erit. Caro autem & cutis quam ignis exusserit, & sanata albam siue rufam habuerit cicatricem, considerabit eam sacerdos, & ecce versa est in alborem, & locus eius reliqua cute est humilior: contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta est. Quòd si pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, & ipsa lepræ species fuerit subobscura, recludet eum septem diebus, & die septimo contemplabitur: si creuerit in cute lepra, contaminabit eum. Sin autem in loco suo

candor steterit nõ satis clarus, plaga combustionis est, & idcirco mundabitur, quia cicatrix est combustura. Vir siue mulier, in cuius capite vel barba germinauerit lepra, videbit eos sacerdos, & si quidem humilior fuerit locus carne reliqua, & CAPILLVS flauus, solitoque subtilior, contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ est. Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, & capillum nigrum: recludet eum septem diebus, & die septimo intuebitur. Si non creuerit macula, & CAPILLVS sui coloris est, & locus plagæ carni reliquæ æqualis: radetur homo absque loco maculæ, & includetur septẽ diebus alijs. Si die septimo visa fuerit stetisse plaga in loco suo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum, totisque vestibus suis mundus erit. Sin autem post emundationem rursus creuerit macula in cute, non quæret amplius vtrum capillus in flauum colorem sit immutatus, quia apertè immundus est. Porro si steterit macula, & capilli nigri fuerint, nouerit hominem sanatum esse, & confidenter eum pronũciet mundum. Vir, siue mulier, in cuius cute candor apparuerit, intuebitur eos sacerdos. Si deprehenderit subobscurum alborem lucere in cute, sciat nõ esse lepram, sed maculam coloris candidi, & hominem

nem mundum. Vir, de cuius capite CAPILLI fluunt, caluus & mundus est: & si à fronte ceciderint PILI, recaluaster & mundus est. Sin autem in CALVITIO siue in recaluatione albus vel rufus color fuerit exortus, & hoc sacerdos viderit, condemnabit eum haud dubiè lepræ, quæ orta est in CALVITIO. Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit. Omni tempore, quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra. Vestis lanea siue linea, quæ lepram habuerit in stamine atque subtegmine, aut certè pellis, vel quidquid ex pelle confectum est, si alba vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur ostendeturque sacerdoti. Qui consideratam recludet septem diebus: & die septimo rursus aspiciens si deprehenderit creuisse, lepra perseuerans est: pollutum iudicabit vestimẽtum & omne in quo fuerit inuenta: & idcirco comburetur flammis. Quod si eam viderit nõ creuisse, præcipiet, & lauabunt id in quo lepra est, recludetque illud septem diebus alijs. Et cum viderit faciem quidem pristinam non reuersam, nec tamen creuisse lepram, immundum iudicabit, & igne comburet, eo

quod infusa sit in superficie vestimenti vel per totum, lepra. Sin autem obscurior fuerit locus lepræ postquam vestis est tota, abrumpet eum, & à solido diuidet. Quod si vltra apparuerit in his locis, quæ priùs immaculata erant, lepra volatilis & vaga, debet igne comburi. Si cessauerit, lauabit aqua ea quæ pura sunt, secundo, & munda erunt. Ista est lex lepræ vestimenti lanei & linei, staminis, atque subtegminis, omnisque supellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.

Leuit. cap. 14. Hic est ritus leprosi, quando mundãdus est: Adducetur ad sacerdotem: qui egressus de castris, cum inuenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei qui purificatur, vt offerat duos passeres viuos pro se, quibus vesci licitum est, & lignum cedrinum, vermiculumque & hyssopum. Et vnũ ex passeribus immolari iubebit in vase fictili super aquas viuentes: alium autem viuum cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo, tinget in sanguine passeris immolati, quo asperget illum, qui mundãdus est, septies, vt iure purgetur: & dimittet passerem viuum, vt in agrum auolet. Cumque lauerit homo vestimenta sua, *radet omnes pilos corporis*, & lauabitur aqua: purificatusque ingredietur castra, ita dumtaxat vt maneat extra tabernaculum suum septem diebus,

diebus, & die septimo *radet capillos capitis, barbamque & supercilia,* ac totius corporis pilos.

Hactenus sacer textus cuius interpres Cornelius docet quintam illam *capitis & barbæ* lepram, eiusdem formæ & rationis esse cum lepra aliarum corporis humani partium. Vnde eius signa sunt eadem. Illud tantum interest quod in reliquis partibus *pili* in albos commutentur: BARBÆ verò & CAPITIS mutentur in flauos ac renues. Cuius rei caussa est, quòd capitis lepræ soleant innasci achores (quos appellant *tineas*) quædam inquam vlcuscula succum liquidiori melli simillimum stillantia. Meritò itaque capilli pertenues inibi nascuntur flaui, sicut è reliquis partibus salsâ pituitâ imbutis supercrescunt albi. Caussa verò saniei illius, haud alia est quàm bilis flauæ pertenuis, cum salsa pituita permistio. Vnde mulieribus illis quæ tineâ laborant, auro similes oriuntur capilli.

Sensus tropolog. lepræ capillitij & barbæ.

Quòd si præfatas lepras ad sensum tropologicum vocemus: cæteræ quidem morum vitia apprimè significant, capitis autẽ & capillitij hæresis est, quæ instar leprę serpit sicut cancer. Vnde statim tollẽda & seperanda. Diuo siquidem Hieronymo tradente: *Scintilla statim vt apparuerit extinguenda*

Hieron. in cap. 5. ad Gal.

guenda est & fermentum à massæ vicinia semouendum: secandæ putridæ carnes & scabiosum animal à caulis ouium repellendum; ne tota domus massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur putrescant, intereant. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est totum orbem eius flamma populata est.

Greg. Tur. lib. 1. mirac. S. Martini cap. 11. & ex eo Baron. an. 560.

Refert Gregorius Turonensis Regem Galliciæ cum subditis Arriana hæresi infectum, ab vltrice omnipotentis manu sic mulctatum esse, vt vniuersâ regione lepræ contagio vitiatâ Charraricus eius filius grauiter infirmari peneque animam exhalare cœperit. Conuersus pater in ærumna dum in filij corpus infigitur spina, ad sanctum Martinum donaria transmisit & eius fidem amplexus filium suum tanquam euangelicus centurio sanatum recipere meruit, populumque plagâ liberauit. *Nec vnquam vsque nunc*, inquit Gregorius, *lepræ morbus super aliquem apparuit.*

Lepra ergo in capite *capillisque* adparens error est circa diuinitatem Christi, eiusque Apostolos aut prophetas: per BARBAM enim homines perfecti significantur qui Christo capiti cohærent quasi barba, eiusque influxum proximè suscipiunt; de quo dicitur: *sicut vnguentũ in* CAPITE *quod*

Psal. 132.

descen-

descendit in BARBAM, BARBAM *Aaron.* CAPILLVS FLAVVS & solito subtilior est superba cogitatio & sui fiducia; sicut NIGER est humilitas & OBEDIENTIA. Humilior carne locus, est erroneus articulus qui veritate Ecclesiæ longè est inferior. Si cutis & locus æqualis sit, radendus est, id est, ei subtrahenda est facultas disputandi, ne infirmo adhuc ingenio tanta mysteria discutere præsumat, agnita iam veritate Ecclesiæ, in qua conquiescere quisque & iudicium suum mancipare debet. Locus autem maculæ radi prohibetur, vt erroris sui memoria homini relinquatur.

Rursum capitis & CAPILLITII lepra, mentis arrogantia est, quam matrem hæreseos esse perhibent. *Septempliciter*, inquit Bernardus, *occupauit nos lepra superbiæ; Primo in proprietate possessionum; Secundo in gloria vestium; Tertio in voluptate corporum; Quartò cùm in aduersis murmuramus; Quinto cum in prosperis arroganter commendamus; Sextò propria voluntas & Septimo proprium consilium ac iudicium quod est pater hæresis.* Porro hæc lepra maximè viles abiectosq; inuadit cùm ad dignitates & fastigia euehuntur, vti docet experientia. Aurelius Victor: *Compertum habeo humillimos quosque, maximè vbi alta accesserũt superbia atq; ambitione immodicos esse. Hinc C. Marius patrũ memo-*

Bern ser. 3. de resurrect. Dom.

Aurel. Vict. de Cæsar.

memoriâ, hinc Diocletianus nostrâ, communem habitum supergressi sunt, dum animus potentiæ expers, tanquam inedia refecti, insatiabilis est. Præclarè S. Augustinus: *Magna miseria est superbus homo, sed maior misericordia est humilis Deus.* Et rursum: *Audeo dicere, superbis vtilè cadere in aliquod apertum & manifestum peccatum, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando fleuit, quàm sibi placuit quando præsumpsit. Hinc ait psaltes: Imple facies eorum ignominia & quærent nomen tuum Domine.*

Aug. de Catec. rudib. Idem lib. 14. de ciuit. Dei.

Psal. 82.

Cœnobiũ leprosorum iuxta Tornacum: forsitan & alibi pluria.

Denique vt obmissis tropologijs ad historicos recurramus & ab eorum penu de leprosis nostris aliquid eruamus; Cùm florentissimi exercitus Christiani milites haud pauci, qui in Palestinam profecti fuerant, lepram inibi terrarum cõtraxissent, reges, principes & magnates tam seculares quàm Ecclesiastici cœpere cogitare de condendis Xenodochijs, quæ eius generis infirmos admitteret. Factum est: & ita quidem, vt eorum quædam instar cœnobiorum foret: quorum monachi & monachæ huius illiusque sexus essent leprosi. Tale profecto fuit illud, quod ad Vallem de Orka Ciuitatis Tornacenæ suburbiũ Episcopus Gerardus fundauit anno Domini 1153. Eugenij

nij III. an. 9. Manuelis Imp. an. 10. Friderici Romanorum Regis an. I. Flandriæ comitatum gubernante Theodorico. *Vestis, Constitutiones & Regulæ, vota* ipsa planè fuere monastica. *Vestem* dixi, & in eâ, quidni TONSVRAM intelligi pariter velimus? si quis enim CORONAM habitus monastici partem adfirmarit, rectè dixerit. De leprosis præfatæ domus monachis memini me superioribus annis & lingua & scripto pluria prælibasse quæ Dominis Ecclesiasticis & secularibus eiusdem moderatoribus MS. tum dicata, nunc inter cartophilacia nostra sermone Gallico reseruamus aliquando lucem, donante lucis auctore, cùm alijs opusculis consimilibus visura.

Histor. Tornac. D. Ioan. Cogn. lib. 3. cap. 52. & lib. 4. cap. 10.

CAPVT XIII.

De Elia Thesbite, Propheta, Religioso Nazaræo, PILOSO, COMATO, *Monachorum Patre & Ordinis à se denominati fundatore, eiusque discipulo Eliseo.*

ELiam Thesbiten Nazaræum fuisse agnouit Ochosias Rex Samarię. quando lapsus per cancellos cœnaculi sui, de vita desperabundus, vocatis ad se famulis iniun- 4. Reg. 1.

iniunxit: Ite consulite Beelsebub Deum Accaron, vtrum viuere queam de infirmitate mea hac. Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten dicens: Surge, & ascende in occursum nunciorum regis Samariæ & dices ad eos: Numquid non est Deus in Israël, vt eatis ad consulendũ Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo super quẽ ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Et abijt ELIAS, *reuersique sunt nuncij ad Ochosiam, qui dixit eis: Quare reuersi estis? At illi responderunt ei: Vir occurrit nobis, & dixit ad nos: Ite & reuertimini ad regem qui misit vos, & dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid quia non erat Deus in Israël mittis vt consulatur Beelsebub Deus Accaron? Idcirco de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Qui dixit eis: Cuius figuræ &* HABITVS *est vir ille, qui occurrit vobis, & nunciauit vobis verba hæc? At illi dixerunt:* VIR PILOSVS *&* ZONA PELLICEA *accinctus renibus. Qui ait:* ELIAS THESBITES EST.

Capillitio vesteque cognitum aduertimus eum qui singulari quodam solitudinis amore plurimos ascetas collegerat *prophetarum filios* id est discipulos, quibus abbatissaret, qualiter adparet in sacro scripturæ diuinæ textu. Eidem Archimandritæ

per

per aëra sublato succẽturiatus est ELISEVS, qui sibi suisque magno numero quottidie crescẽtibus monasteriola fabricaturus descendit ad solitudinem Hierecuntis.

Monachismus Eliæ & Elisæi.

In eremiticam & cœnobiticã vtriusque prophetæ conuersationẽ, quidnam olim & hodie senserint scriptores, paucis adnotasse libuit.

Hieron. Epist. 13.

S. Hieronymimus & ipse Monachus: *Noster princeps* ELIAS, *noster* ELISEVS, *nostri duces filij prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula iuxta fluenta Iordanis.*

Isidor. lib. 8. de officijs cap. 9.

S. Isidorus: *Vnde ad Monachos studium defluxerit paupertatis, vel quis huius conuersationis est auctor, cuius* HABITVM *imitemur? Quantùm adtinet ad auctoritatem veterum scripturarum, huius propositi princeps* ELIAS, ELISEVS *& discipuli eius fuerunt, siue filij prophetarum, qui habitabant in solitudine, vrbibusque relictis faciebant sibi casulas iuxta fluenta Iordanis.*

Ioan. Cassian. lib. 1. de instit. remiciant. cap. 2.

Ioannes Cassianus: *Monachum vt militem Christi accinctis lumbis iugiter oportet incedere: hoc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri testamento,* PROFESSIONIS HVIVS FVNDAVERE PRIMORDIA, ELIAM *scilicet &* ELISEVM, *diuinarum scripturarum auctoritate monstratur.*

Ioannes

Ioan. 44. pat. Ieros. lib. de Instit. Monach. ca. 2.

Ioannes XLIV. Patriarcha Ierosolymitanus: *Propheta Dei* Elias monachorvm princeps primvs extitit, *à quo sancta eorum primæua institutio sumpsit exordium: ipse enim obtentu contemplationis diuinæ longè ab vrbibus recedens & seipsum cunctis terrenis exuens, religiosam & prophetalem* vitam eremiticam *primus hominum propositò ducere cœpit, quam sancto dictante ac mandante spiritu, inchoauit & instituit.*

Idem ibidè cap. 19.

Idem Patriarcha: *Studuit* Elias *deinceps* religionem *quam inchoauerat loco idoneo plantare: quare ad sui suorumque discipulorum iugem mansionem, elegit præ alijs* eremis, *Carmeli montem, tanquam commodiorem ad propheticam disciplinam, &* vitam monasticam *in eo docendam & exercendam. Mons quippe præbet* eremitæ homini *ex sua solitudine silentium & quietem, ex suis antris congruam mansionem, ex suo saltu iucunditatem, ex suo eminenti situ, aërem salubrem, ex suis herbis & fructibus pastum vberem, & ex suo fonte aquæ viuæ haustum dulcem. Propter quæ omnia* Elias *in monte isto non modo elegit habitare, verùm etiam domum orationi consecratam appellatam* Sevnion *in eo edificauit.*

Idem ibidè cap. 23.

Idem ipse rursum & tertio: *Priusquam* Elias *ab hoc mundo transferretur fuit, ei cura* monachos *discipulos suos filios prophetarum*

phetarum sigillatim visitare & de PATRE *idoneo eis prouidere: propter quod descendentes ipse &* ELISEVS *de monte Carmelo venerunt ambo in Calgola, deinde in Bethel & deinde in Iericho. Nam sicut prædiximus in his locis habitabant viri Religiosi filij prophetarum* ELIÆ *discipuli.*

Tritthemius Abbas: ELIAS *propheta Domini eximius rectè & Catholicè* FVNDATOR CARMELITANÆ RELIGIONIS *dicitur, si eius facta ex voluminibus Regum absque inuidia discutiantur. Enimuero ipse montem Carmeli primus habitasse legitur à quo* FRATRES CARMELITÆ *nominantur. Triplici autem ratione ostenditur quod istius obseruantiæ princeps* ELIAS *habeatur: à loco videlicet, ab habitatione & conuersatione. Cum ergo nomen Ordinis à loco sumitur, merito* CARMELITARVM PRINCEPS ELIAS *memoratur, quia mons Carmelus cuius ille habitator extitit huic Ordini vocabulum dedit. Non loquor vana sed testimonijs Scripturarum comprobata profero cùm* ELIAM *prophetam eundem locum longe ante Christi natiuitatem habitasse dico, qui* FRATRIBVS CARMELITIS *Religionis suæ nomen & exordium dedit.* *Tritth. de laud. Carmel. cap. 2.*

Baptista Mantuanus Carmelũ dilaudãs: *Mantuan. in sacris diebus.*

Mons Patrum pietate sacer, lateque priorum
Inclytus hospitio vatum: nam dicitur illinc

Discipulo

Discipulo ambustam iaciens ex aëre vestem
ELIAS *ardenti cælum petijsse volatu;*
Illinc perpetuis, ceu missi è fontibus amnes,
RELIGIO *& sacri fluxit reuerentia cultus.*
Quidquid habent alij montes pietatis, ab isto
Ducitur: hæc vnâ plures è vite racemi
Diffusi latè terras atque æquora complent.
Hinc CARTHVSIACIS *æterna silentia claustris,*
Hinc varias BENEDICTVS *oues collegit: ab isto,*
Canabe nodosâ tunicas arcere fluentes
LIGNIPEDES *didicere viri; quique arua colebant*
Innia & assiduo terras ardore calentes:
Et quos CYRIACVS *de littore vexit Ibero,*
Hinc orti, sanctum & summo genus ordine dignum.
Hinc nostri venere patres.

Hieronym. Platus de bono stat. Relig. cap. 19.

Hieronymus Platus: *Magnam huius vitæ* (monasticæ) *similitudinem gessit* ELIAS *qui* SINE VXORE, *sine liberis, sine familia* CASTAM CÆLIBEMQ. VITAM SEMPER EGIT. *in tanta insuper* PAVPERTATE *vt vestium loco* ZONA PELLICEA *amictus describatur. victum autem modo à vidua, modo à coruo quasi* MENDICATVM *acciperet. Huius discipulus*

discipulus atq; instituto simillimus fuit etiam, vt legimus, ELISEVS *qui ab illo ad perfectiorem hanc formam inuitatus, paternis statim agris & bobus, quin etiam parentibus & domo relictis, magnum etiam exemplum* RELIGIOSIS *dedit, quàm hæc impigrè pro Christi nomine deserenda sint. Tales etiam illi fuere qui horum vtriusque ductum sequentes, illorumque magisterio ac disciplina, perfectius quoddam institutum tenentes, Prophetarum filij vocati sunt. Hos enim à reliquo vulgo* SEGREGATOS *fuisse &* COMMVNEM *quandam inter se* VITAM *vixisse apparet ex miraculis quæ* ELISEVS *fecisse scribitur tum aquis illorum rogatu sanandis, tum ollæ amaritudine abstergenda, tum etiam pane, qui omnibus vsui futurus erat multiplicando.* CASTITATEM *autem illud ostendit, quod nullo loco vel vxorum vel liberorum fiat mentio, nec aliter in communem vitam conuenire potuerint. Denique etiam* OBEDIENTIA *facto illo satis declarata est, quod* ELISÆO *post* ELIÆ *raptum reuertenti occurrerunt omnes, eumque, vt scribitur,* PRONI ADORAVERVNT, *quasi hoc externo reuerentiæ signo contestantes se* OBEDIENTIAM, *quam prius* ELIÆ *præstiterant iam in ipsum transferre.*

Genebrardus ELISEVS *miris & inusitatis operibus insignis construxit cellas prophetis in Hierecuntis* SOLITVDINE. *Manauit*

Geneb. Chron. lib. 1. ad an. 3280.

institutum & loci RELIGIO *ad posteros: fuitque desertum hoc vsque ad Engaddi ab* ESSENIS *habitatum, hominibus* CONTINENTIÆ *incredibilis.*

CAPVT XIV.

Legati Regis Dauidis ab Ammonitarum Rege malè habiti, minutis ignominiosè vestibus, & BARBA SEMIRASI pelluntur.

ANno mundi 2993. obijsse refertur ab Torniello, Naas Rex Ammonitarum, in quem bello congressus quondam fuerat Saul anno regni sui primo. Agebat hoc tempore Dauid annum sui principatus quartum circiter & decimum: qui cùm olim ab Saule varijs vexaminibus pressus peneque oppressus præfati Regis Ammonitarum beniuolam & beneficam manum persensisset, filio eius Hanon successori peramicam legationem misit, quâ gratiæ gratiam rependeret. Non ita creditum ab Ammonita, qui consiliarijs suis malè in Dauidem adfectis credulus, fraudem, non gratiam ab eo sibi parari perperam ratus, legatis tam beniuolis DIMIDIAM BARBÆ PARTEM RADI mandauit vestesque ad vsque nates circũcidi, eoque habitu

habitu cõfusos regni finibus turpiter pelli mandauit inconsultissimè. Nam & malè sibi conscius Hanon sui facinoris vltorem Dauidem metuens, Syros in auxilium vocat qui socias ad bellum copias conferrẽt. Re ficut erat perceptâ reduces in patriam legatos iubet Dauid manere in Ierico, donec creſceret BARBA eorum. Ioab autem coacto milite in hoſtem progredi imperat. Qui collectis ſtatim copijs, fratrem cum Ammonitis congredi iubet, dum ipſe Syris ingruit. Vtrimque prælia acriter committũtur: è quibus, cæſis hoſtibus, pedem retulere Dauidiani victores. Verum cùm haud multo poſt tempore, reparatis auctiſque copijs rurſus innouarent Syri bellum, Dauid ipſe progreſſus obuiam, cecîdit eorum equitum millia quadraginta, ducem exercitus interfecit & ſeptingentos hoſtium currus intercepit. Reſtabant fugâ lapſorum hominum quinquaginta octo millia qui ſubmiſſis armis deinceps victori Regi ſeruiere.

Quantùm autem ad retaliationem acceptæ gratiæ, ſic agit hiſtoria: *Factum eſt vt moreretur Rex filiorum Ammon, & regnauit Hanon filius eius pro eo. Dixitque Dauid: Faciam miſericordiam cum Hanon filio Naas, ſicut fecit pater eius mecum miſericordiam. Miſit ergo Dauid conſolans* 2. Reg. 10.

eum, per seruos suos, super patris interitu, &c. Quæ vero qualisue *misericordia* Dauidi quondam ab Ammonitarum Rege facta? Hanc licet scriptura sacra nusquam tradiderit, dubitare tamen haud debemus Dauidem insigne quoddam beneficium à Rege accepisse, tunc præsertim, quando persecutionem patiebatur Saulis, cui Naas hostis erat acerrimus. Certè Diuus Hieronymus id arbitratur accidisse inter Dauidis fugam de Geth, & aduentum eiusdem ad speluncam Odollam.

Locus Reg. 2. interpretatus.

D. Hier. de locis Hebraicis.

Quid porrò ignominiæ fuit *barbâ semiradi?* hoc erat, si mores Gentium despiciamus, legatos ad ergastula transmittere, de quibus libro primo disseruimus.

CAPVT XV.

Tropologica quædam de CAPILLITIO *Absalonis.*

Silentio mihi prætereundum non est, quod in sacra Regum historia legitur: *Sicut Absalon, vir non erat pulcher in omni Israël & decorus nimis: à vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula. Et quando*

2. Reg. 14.

quando TONDEBAT CAPILLVM (SEMEL *autem* IN ANNO TONDEBATVR *quia grauabat eum cæsaries*) *ponderabat* CAPILLOS CAPITIS SVI *ducentis siclis pondere publico*. Mira quidem humanæ pulchritudinis delineatio. Quis autē aut quid nobis est ABSALON nisi CHRISTVS ipse *speciosus forma præ filijs hominum*, cuique dicitur: *Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum*. Christus autem non solum vt Deus habet infinitam pulchritudinem, ast etiam vt homo tantis ditatus dotatusque charitibus est, vt omnis decor & pulchritudo creata simul accepta, si ei conferatur, non magis adpareat quam stella coram Sole. De illo siquidem inter pulchros pulcherrimo canit Sponsa: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* Psal. 44. Cant. 2.

Verùm aliquid singulare atque insigne ab Tropologicis interpretibus in præfato CAPILLORVM decore præsignari dubitare non possumus: cùm ios adtestante Lyrano siclis ducentis diuenditos, mulieres statuto tempore emerent vt capita comerent.

Equidem CAPILLOS superfluum quid esse ac superabundans in homine nemo est qui ignoret: ac proinde pœnas,

merita ac passiones Christi superaffluentes ac superabundantes designat & à feminis ac mulieribus, ab animabus inquam melioribus, & in virtutem mollioribus comparantur ad ornatum; quando per indulgentias, passiones illas sibi applicant vt sic aliena CÆSARIE, id est meritis & pœnis alienis ornatæ, pulchræ, decoræ & immaculatæ in conspectu Dei compareant. De pulchritudine enim eius omnes accepimus & *gratiam pro gratia*. Ita Paulus Christi CAPILLITIO decorabatur. Colossenses adloquens: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea*. Quid autem deesse potest passioni Christi? Hoc vnum certè vt nos similia patiamur, ei conformemur, eam denique nobis applicemus. Qui ergo castigat & crucifigit corpus suum, qui sacras Indulgentias dignè adipiscitur, CAPILLIS Christi ornatur, CAPILLOS Christi emit, & illis sese quasi diademate coronat. Statuto autem tempore seu semel in anno TONSOS CAPILLOS impartiebantur: quoniam Indulgentiæ certis quibusdam temporibus Pontifices fidelibus largiuntur vt glorioſi coram Deo appareant. Summopere enim Pater cœlestis delectatur in homine iusto qui Christi CAPILLIS, imitatione Christi, Christi

Ioan. 1.
Coloss. 1.

gratiâ

gratiâ meritisque exornatur. Et sicut Iacob alienis pellibus cultior, patri suo Isaac acceptissimus eiusdem benedictionem accipere meruit: ita fidelis anima, meritis ac passionibus Dominicis per indulgentias decorata, Deo gratissima est & peccaminum remissionem plenariâ benedictione recipit.

Hactenus de tonsuris & coronis Iudæorum nunc ad Christianos veniamus.

DE CORONIS ET TONSVRIS CHRISTIANORVM

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Corona Clericalis & Monastica vnde & quare instituta. Item Corona Christi qualis, IVNCEA *an* SPINEA.

PEracto de TONSVRIS Hebræorum libello, vnde tertium hūcce de CORONIS Christianorum aptius exordiar quam ab eo qui factus Ω figurarum antiquæ legis & A nouæ redemptionis humanæ litrum baiulans redimitus est CORONA *expressâ signo sanctitatis, gloriæ & fortitudinis.* Huius enim ratione & exemplo adtonsos in sphæram

ram esse monachos & clericos, venerabilis Beda docuit subsequenti verborum serie. *Inter omnes quas in Ecclesia vel in vniuerso hominum genere reperimus* TONSVRAS, *nullam magis sequendam amplectendamque iure dixerim, eâ, quam in capite suo gestabat ille, cui se confitenti Dominus ait: Tu es* PETRVS. *Neque ob id tantum in* CORONAM *adtondemur, quia adtonsus ita est* PETRVS, *sed quia* PETRVS *in memoriam Dominicæ passionis ita adtonsus est; idcirco & nos, qui per eandem passionem saluari desideramus, ipsius* PASSIONIS SIGNVM *cum illo in vertice, summâ videlicet corporis nostri parte, gestamus. Sicut enim omnis Ecclesia, quæ post mortem sui viuificatoris Ecclesia facta est, signum sanctæ Crucis in fronte gestare consueuit, vt crebrò vexilli huius munimine à malignorum spirituum defendatur incursibus, & crebrâ huius admonitione, doceatur se quoque carnem cum vitijs & concupiscentijs crucifigere debere: ita etiam oportet eos, qui vel* MONACHI *votum, vel gradum* CLERICATVS *habentes, arctioribus necesse habent pro Domino se continentiæ funibus adstringere, formam quoque* CORONÆ, *quam ipse in passione sua spineam portauit in capite, vt spinas ac tribulos peccatorum nostrorum*

Beda de gestis Angl. lib. 5. cap. 22.

Nota contra hæreticos.

strorum portaret, id est, *exportaret ac auferret à nobis, suo quemque in capite, per* TONSVRAM *perferre; vt se etiam irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio, doceant: vt* CORONAM *vitæ quam repromisit Deus diligentibus se semper expectare proque huius perceptione & aduersa se mundi & prospera contemnere designent.*

De spinea corona Domini.

Eadem tradunt Albinus Flaccus agens de diuinis officijs, Rabanus de institutione clericorum & alij: quibus prætermissis non abs re modò fuerit de CORONA CHRISTI DOMINI paucis tractare, cuius imaginem à monachis ac sacerdotibus in capite gestari adserimus. Itaque vt de ea miscellaneè quædam proferamus in medium, auctor est Clemens Alexandrinus, Christianos ob reuerentiam spineæ coronæ Saluatoris, coronis intextis floribus tempora ornare, Gentilium more, exhorruisse. Sed & Tertullianus eadem pluribus: vulgatamque ait fuisse disciplinam Christianorum vt coronis abstinerent. Godefridus etiam Hierosolymorum Rex adclamatus, negauit auream capite coronam laturum se ea in ciuitate quam humani generis Redemptor obambularat spineo diademate redimitus.

Tertull. de corona milit. cap. 1.

Itane igitur *spinea* CORONA fuit? audiatur

diatur Gregorius Turonensis: apud Baronium: *Ferunt ipsas coronæ sentes, quasi virides apparere, quæ tametsi videantur aruisse foliis, quottidie tamen reuirescere virtute diuinâ.* Vnde nullatenus audiendos reor eos qui ex iunco marino Domini coronam contextam dixere: cum certũ sit, Ioãnis & Matthæi adsertionibus, *milites plectentes coronam de spinis* eandem sacratissimo eius capiti superposuisse. Longè enim diuersa est spinarum ac iunci ratio: huius siquidem fusti vel ramis, mille adhærent spinæ: cuius dumtaxat cacumina in spinas desinunt. Sed & vnde, rogo, præ militum Hierosolymis agentium manibus, eiusmodi iuncus? quo litore lectus aut carptus? ex spinis igitur, quæ circa vrbem illam nasci solerent, paratam ab illis *coronam* Christo, ratio persuadet & docet experimentum: cùm quæ hactenus adseruatæ reperiantur ex eadem coronâ spinę, verè decerptas ex sentibus noscantur, quibus simile nihil cum iunco marino fuisse adparet. Eas certè quas in varijs Ecclesiarũ Lipsanophilacijs Francię, Italiæ & Germaniæ indignis hisce meis oculis vsurpare merui, verè spinas fuisse liquet; quod & adseuerat etiam Baronius in Annalibus.

Bar. ad an. 34.

Ioan. 19. Matt. 27.

CAPVT

CAPVT II.

Sancti Petri Apostoli effigies & CORONA vel adtonsio : quales.

EVsebius Pamphilus, qui sub Constantino Magno, Cæsarienſi præfuit Eccleſiæ, cùm in hiſtoria ſua ſuper ſtatua IESV CHRISTI ab Emorrhoyde femina erectâ, & à ſe visâ, diſſeruiſſet, ſubiungit: *Nec plane mirum eos qui ex gentilibus prognati à Seruatore, dum inter homines viuebat, beneficijs affecti fuiſſent, iſta effeciſſe; cùm & nos* PETRI *& Pauli Apoſtolorum & Chriſti etiam ipſius imagines in picturis colorum varietate expreſſas conſeruataſque adſpeximus.*

Euſeb. hiſtor. lib. 7. cap. 14.

Auguſt. de conſen. Euang. l. 1. c. 10.

Adfirmat etiam noſtrorum ſcriptum apex Auguſtinus, effigiari conſuêſſe Saluatorem, hinc PETRVM, inde Paulum pictos habentem. Vnde poſteris haud difficile fuit ipſorum vultus apellæis quibuſdam lineamentis exprimere, quales Scriptorum monumentis fuerunt nobis commendati. Nam & Nicephorus imaginem S. PETRI ſtilo ſuo quaſi penicillo exprimens ſic delineauit: PE-

Nicepb. lib. 2. hiſt. cap. 37.

TRVS

TRVS *quidem* HAVD CRASSA CORPORIS STATVRA *fuit, sed qui* ALIQVANTO *esset* ERECTIOR, FACIE SVBPALLIDA & ALBA ADMODVM, CAPILLI CAPITIS *&* BARBÆ CRISPI *&* DENSI, *sed* NON *admodum* PROMINENTES *fuere*. OCVLI QVASI SANGVINE RESPERSI, NIGRI: SVPERCILIA PROPE EVVLSA: NASVS *autem* LONGIOR *ille quidem*, NON *tamen* IN ACVMEN DESINENS *sed* PRESSVS SIMVSQ. *magis*.

Iconicè profectò: sed vbi adtonsio & CORONA! dabit illam nobis Germanus Patriarcha Constantinopolitanus subsequenti verborum serie: *Duplex*, inquit, CORONA *circumpositа capiti sacerdotis, capillorum significatione, imaginem refert venerandi capitis Apostoli* PETRI; *qui cùm missus esset ad prædicationem Domini & magistri, ei* TONSA *est ab his qui eius sermoni non credebant, vt illuderetur ab ipsis: eique* CHRISTVS *magister benedixit & infamiam in honorem, illusionem in gloriam conuertit; & posuit super caput eius* CORONAM *non ex lapidibus, sed lapide & petra fidei eius fulgentem super aurum & topazium & lapides pretiosos.* Quæ cùm scribat Germanus quantumlibet vnde acceperit auctorem non citet, ex maiorum tamen traditione, eum

Germ. in theor. rer. Eccl. fast.

cum mutuatum esse credendum est. Cùm enim probè sciamus consueuisse eiusmodi ludibrio Romæ affici sapientes viros, qui philosophi dicerentur, eandem in Petrum illatam esse contumeliam, haud vanum erit existimare.

Vide primum librum huius opelli.

CAPVT III.

Ceolfridus Abbas sententiam suam super Ecclesiastica corona rogatus, mittit Regi Pictonum qui septentrionales Britanniæ plagas inhabitabant.

„DOmino excellentissimo & glorio-
„sissimo Regi Naïtano, Ceolfridus
„Abbas, in Domino salutem &c. TONSV-
„RAM de qua vobis literas fieri voluistis
„hortor vt ecclesiasticam & Christianæ fi-
„dei congruam habere curetis. Et quidem
„scimus, quia neque Apostoli omnes vno
„eodemque sunt modo *attonsi*, neque nunc
„ecclesia catholica sicut vna fide, spe, &
„charitate in Deum consentit, ita & iam
„vna atque indissimili totum per orbem
„tonsuræ sibi forma congruit. Denique
„vt superiora, id est, patriarcharum tem-
„pora respiciamus, Iob exemplar patien-
„tiæ, ingruente tribulationum articulo
„*caput totondit*: probauit vtique, quia tempore

»tempore fœlicitatis *capillos* nutrire con-
»sueuerat. At Ioseph & ipse castitatis, hu-
»militatis, pietatis, cæterarumque virtu-
»tum executor ac doctor eximius, cum
»esset seruitio absoluendus *attonsus* esse
»legitur: patet profectò quia tempore ser-
»uituris intonsis in carcere crinibus ma-
»nere solebat. Ecce vterque vir Dei diuer-
»sum ab altero vultus habitum foris præ-
»monstrabat, quorum tamen intus con-
»scientia in parili virtutum sibi gratia cō-
»cordabat. Verùm si profiteri nobis libe-
»rum est, quia tonsuræ discrimen non no-
»ceat quibus pura in Deum fides & cha-
»ritas in proximum syncera est, maximè
»cùm nunquam patribus catholicis sicut
»de Paschæ vel fidei diuersitate conflictus,
»ita etiam de tonsuræ differentia legatur
»aliqua fuisse controuersia. Inter omnes
»tamen quas vel in ecclesia vel in vniuer-
»so hominum genere reperimus TONSV-
»RAS, nullam magis sequendam nobis am-
»plectendamque iure dixerim ea, quam in
»capite suo gestabat ille, cui se confitenti
»Dominus ait: *Tu es Petrus & super hanc* Matth. 16.
»*petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ*
»*inferi non prævalebunt aduersus eam, &*
»*tibi dabo claues regni cœlorum.* Nullam ve-
»rò magis abominandam detestādamque
»meritò cunctis fidelibus crediderim eâ
quam

„quam habebat ille, cui gratiam ſancti
„Spiritus comparare volenti dicit idem
„Petrus: *Pecunia tua tecum ſit in perditio-*
Act. 8. „*nem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecu-*
„*nia poſſideri. Non enim eſt tibi pars neque*
„*ſors in ſermone hoc.* Neque verò ob id tan-
„tum in coronam attondemur, quia Pe-
„trus ita attonſus eſt: ſed quia Petrus
„in memoriam dominicæ paſſionis ita
„attonſus eſt, idcirco & nos, qui per
„eandem paſſionem ſaluari deſideramus,
„ipſius ſignum cum illo in vertice, ſum-
„ma videlicet corporis noſtri parte, ge-
„ſtamus. Sicut enim omnis eccleſia, quæ
„per mortem ſui viuificatoris eccleſia fa-
„cta eſt, ſignum ſanctæ crucis eius in fron-
„te portare conſueuit, vt crebro vexilli
„huius munimine à malignorum ſpiri-
„tuum defendatur incurſibus, crebra hu-
„ius admonitione doceatur, ſe quoque
„carnem ſuam cum vitijs & concupiſcen-
„tijs crucifigere debere, ita etiam opor-
„tet eos, qui vel monachi votum, vel gra-
„dum clericatus habentes, arctioribus ſe
„neceſſe habent pro Domino continen-
„tiæ frænis aſtringere. Formam quoque
„CORONÆ, quam ipſe in paſſione ſua ſpi-
„neam portauit in capite, vt ſpinas ac tri-
„bulos peccatorum noſtrorum portaret,
„id eſt, exportaret & auferret à nobis, ſuo

quem-

»quemque in capite per tonſuram præ-
»ferre. Vt ſe etiam irriſiones & opprobria
»pro illo libenter ac prompto animo ſuf-
»ferre, ipſo etiam frontiſpicio doceant: vt
»coronam vitæ æternæ, quam repromiſit
»Deus diligentibus ſe, ſe ſemper expecta-
»re, proque huius perceptione & aduerſa
»ſe mundi & proſpera contemnere deſi-
»gnent. Cæterum tonſuram eam quã Ma-
»gum ferunt habuiſſe Simonem, quis ro-
»go fidelium non ſtatim cum ipſa magia
»primo deteſtetur & meritò exufflet? Quæ
»aſpectu in frontis quidem ſuperficie co-
»ronæ videtur ſpeciem præferre, ſed vbi ad
»ceruicem conſiderãdo peruenieris, decur-
»tatam eam quam te videre putabas inue-
»nies coronam. Vt meritò talem ſimonia-
»cis & non Chriſtianis habitum conueni-
»re cognoſcas, qui in præſenti quidem vi-
»ta à deceptis hominibus putabãtur digni
»perpetuæ gloria coronæ, ſed in ea quæ
»hanc ſequitur vitam non ſolum omni ſpe
»coronæ priuati, ſed æterna inſuper ſunt
»pœna damnati. Neque verò me hæc ita
»proſecutum æſtimes, quaſi eos qui hanc
»tonſuram habent condẽnandos iudicem,
»ſi fide & operibus vnitati catholicæ fauc-
»rint, imò confidenter profiteor plurimos
»ex eis ſanctos ac Deo dignos extitiſſe. Ex
»quibus eſt Adamnanus abbas & facer-

„dos Columbienſium egregius, qui cum „legatus ſuæ gentis ad Alfridum regem „miſſus, noſtrum quoque monaſterium „videre voluiſſet, miramque in moribus ac „verbis prudentiam, humilitatem, religio„nem oſtenderet, dixi illi inter alia collo„quens: Obſecro ſancte frater, qui ad co„ronam te vitæ quæ terminum neſciat tẽ„dere credis, quid contrario tuæ fidei ha„bitu terminatam in capite *coronæ* imagi„nem portas? Et ſi conſortium beati Petri „quæris, cur eius quem ille anathematiza„uit tonſuræ imaginem imitaris, & non „potius eius cum quo in æternum beatus „viuere cupis, etiam nunc habitũ te, quan„tum potes, diligere monſtras? Reſpondit „ille: Scias pro certo frater mi dilecte, quia „& ſi Simonis tonſuram ex conſuetudine „patriæ habeam, ſimoniacam tamen perfi„diam tota mente deteſtor ac reſpuo: bea„tiſſimi autem Apoſtolorũ principis, quan„tum mea paruitas ſufficit, veſtigia ſequi „deſidero. At ego: Credo, inquam, verè „quòd ita ſit, ſed tamẽ indicio ſit, quòd ea „quæ Apoſtoli ſunt Petri, in abdito cor„dis amplectimini, ſi quæ eius eſſe noſtis „etiam in facie tenetis. Namque pruden„tiam tuã facillimè diiudicare reor, quòd „aptius multo ſit eius, quem toto corde „abominaris, cuiuſque horrendam faciem

videre

»videre refugis, habitum vultus à tuo vul-
»tu Deo iam dicato separare: & è contra e-
»ius, quem apud Deum patrem habere pa-
»tronum quæris, sicut facta vel monita cu-
»pis sequi, sic etiam morem habitus te imi-
»tari condeceat. Hæc tunc Adamnano di-
»xi, qui quidem quantum conspectis ec-
»clesiarum nostrarum statutis profecisset
»probauit, cum reuersus ad Scotiam mul-
»tas postea gentis eiusdem turbas ad ca-
»tholicam temporis Paschalis obseruantiã
»sua prædicatione correxit. Tametsi eos
»qui in Hij insula morabantur monachos
»quibusque speciali rectoris iure præe-
»rat, nec dum ad viam statuti melioris re-
»ducere valebat. *Tonsuram* quoque si tan-
»tum sibi autoritatis subesset, emendare
»meminisset.

»Sed & nunc tuam prudentiã, Rex, ad-
»moneo, vt ea quæ vnitati catholicæ & a-
»postolicæ ecclesiæ concinunt, vna cum
»gente cui te Rex regum & Dominus do-
»minorum præfecit, in omnibus seruare
»contendas. Sic enim, fit vt post accep-
»tam temporalis regni potentiam ipse
»beatissimus Apostolorum princeps cœ-
»lestis quoque regni tibi tuisque cum cæ-
»teris electis libens pãdat introitum. Gra-
»tia te Regis æterni longiori tempore re-
»gnantem ad nostram omnium pacem cu-

„stodiat incolumem, dilectissime in Chri-
„sto fili. Hæc epistola cum præsente re-
„ge Naitano multisque viris doctioribus
„esset lecta, ac diligenter ab his qui intel-
„ligere poterant in linguam eius propriam
„interpretata, multum de eius exhortatio-
„ne gauisus esse perhibetur: Statim nam-
„que iussu publico mittebantur ad trans-
„scribendum, discendum, obseruãdum per
„vniuersas Pictorum prouincias. ATTON-
„DEBANTVR OMNES IN CORONAM MINI-
„STRI ALTARIS AC MONACHI: & quasi no-
„uo se discipulatui beatissimi Apostolorũ
„principis Petri subditam eiusque tutan-
„dam patrocinio gens correcta gaudebat.

CAPVT IV.

Quid syncerè sentiendum sit de præfato Ceolfridi Abbatis scripto à Beda literis commendato, in Coronam. Itemque de Corona S. Petri.

Beda hist. Aug. lib. 5. cap. 122.

EQuidem si fides adhibenda ijs quæ ab erudito scriptore Beda recitãtur, iam ipsis Apostolorum temporibus, non modo Simon PETRVS adtonsus est, sed & SIMON MAGVS tonsuræ quoddam genus excogitauerat: Verùm quia hæc à maioribus tradita non leguntur, meritò labascat in hoc

hoc noſtra fides, adeo vt nihil fidei ſuper eiuſmodi ſcripto Ceolfridi relinquendum videatur. Nam & de eadem epiſtolâ, quam recitat vir ille *ſanctitate venerabilis*, locutus eſſe videtur Amalaricus qui eam haud tanti pretij fuiſſe adſeuerat, vt ab omnibus recipiatur. Ipſe namque de tonſuræ origine diſputans ſcitè quidem atque prudenter, *interrogatur*, inquit, *ab aliquibus quis primus tonſus ſit noſtro more? Legi in epiſtola cuiuſdam viri:* PETRVS. *Sed quia non tantæ auctoritatis eſt, vt ex illa firmare valeamus noſtram ſententiam, maluimus eam ſilentio præterire. Non tamen abs re eſt ſi dixerimus illum aut aliquem ſucceſſorem eius primo fuiſſe tonſum noſtro more: quoniam ab illa Eccleſia ſumptus eſt talis vſus, in qua illi ſederunt. Sed quid ad nos, cùm multa agamus ex conſuetudine præſentis Eccleſiæ, quorum auctores non perferuntur ſpecialiter: ſicut nec obſeruationes Quadrageſimalis temporis ante Paſcha? Scimus tamen ex demonſtratione S. Auguſtini, conſenſione Eccleſiæ, eſſe roboratam. Sic & nos dicimus* TONSVRAM *noſtram ex auctoritate & conſuetudine Romanæ Eccleſiæ eſſe roboratam.* *Amalaric. de Eccleſ. offic. cap. 5.*

Quod autem ait, etſi non à Petro ſaltem ab aliquo Petri ſucceſſore tõſuræ vſum antiquam ſibi originem vindicare: certè de nullo alio quàm de Aniceto eſt teſtimo-

nium; qui cùm vicinus adeò fuerit Apostolorum temporibus, quidquid ordinauit, ab ipsismet Apostolis cõstitutum esse potuit. Irenæus namque testatur, ad vsque sua tempora (Eleutherij nempe) traditiones Apostolicas in Ecclesia Romana illibatas atque incorruptas esse seruatas: vt meritò eâ de causâ scriptor idem, Romanam Ecclesiam appellet *diues depositum Apostolicarum traditionum.*

Iren. lib. 3. c. 3. & 4.

CAPVT V.

Tonsuram Monasticam primo seculo vsitatam docemus auctoritate S. Dionysij Areopagitæ: cuius sensum aduersum Nouatores defensamus.

AB Apostolis discedens & ad eorundem discipulos descendens, DIONYSIVM Areopagitã inuenio TONSVRÆ MONASTICÆ VINDICEM egregium. Sic enim apertè scribit: *Summus eorum omnium qui initiantur & perficiuntur,* ORDO *est* SANCTORVM MONACHORVM, *cùm & omni piaculo tota vi omnique actionum suarum sanctimoniâ expiatus sit, & omnis mysterij, (quod quidem ei fas sic aspicere) spectator particepsque*

Dionys. Areop. de Eccles. hierarc. cap. 6.

ceptsque sit factus, perficientisque pontificum Ordinis statum exprimere conatus, ac diuinis eorum illustrationibus hierarchicisque traditionibus edoctus, sanctorum rituum, qui eum attingunt, sacras quas aspexerit actiones, atque sanctâ eorundem scientiâ, pro modo suo, ad summam perfectionem euectus. Hinc diuini præceptores nostri sanctis eos nominibus appellari voluerunt: alij THERAPEVTARVM, alij MONACHORVM, à puro Dei famulatu & cultu, indiuiduaque ac singulari vitâ; quippe quæ eos vnum faciat sanctis rerum diuiduarum coniunctionibus, ad diuinam vnionem Deoque gratam perfectionem adipiscendam. Itaque perficiendi eis munus sancta lex concessit, dignataque est eos inuocatione quæ vim consecrandi habet, non pontificiâ quidem (ea enim est tantùm penes sacerdotum Ordines) sed sacerdotali, quæ à sanctis sacerdotibus, secundo à pontificio munere loco adhibetur.

Mysterium cõsecrationis monasticæ.

Sacerdos quidem stat ante diuinum altare, precationem quæ MONACHOS attingit, recitans ac pronuncians; is autem qui consecratur & initiatur stat post sacerdotem, nec vtrumque genu flectit, nec alterum: nec caput habet suppositum à Deo traditis Euangelijs, sed tantum præsto est sacerdoti, qui mysticam precationem pro ipso recitat. Sacerdos verò ea peractâ cùm ad eũ qui initiatur venit,

illum rogat primùm: Num remittat nuncium, non solùm diuiduis distinctisque vitis, verùm etiam imaginationibus. Deinde perfectissimam ei vitam exponit, hoc pro testimonio dicens, eum mediam vitam superare ac transilire oportere. Quæ vbi omnia is qui initiatur continenter professus est se esse facturum, SACERDOS SIGNO CRVCIS EVM CONSIGNATVM, TONDET, *appellans tres personas diuinæ beatitudinis,* OMNIQ. VESTE DETRACTA, ALIAM INDVIT *& cum alijs sanctis viris qui adsunt, cùm eum salutauit participem facit diuinorum mysteriorum.*

Quod neutrum genu flectit, neque habet caput diuinis libris subiectum, præstoque est sacerdoti precationem recitanti, declarat MONACHORVM ORDINIS *non esse alios deducere, sed in se ac per se perstare in singulari sanctoque statu sacerdotum ordines affectantem, & ab eis ad diuinam sacrorum, quæ illum attingunt, scientiam facilè traduci. Diuisarum autem diuersarumque non solùm vitarum sed etiam visionum, vt ita dicam, abrenunciatio, perfectissimam* MONACHORVM *philosophiam significat quæ in præceptorum quæ vnum faciunt scientia vim & efficaciatem habent. Est enim vt dixi, non medij eorum qui initiantur Ordinis, sed summi omnium. Itaque multa eorum quæ impunè ac sine improbatione à medio Ordine geruntur,*

omni

omni ratione singularibus MONACHIS *interdicta sunt : quippe qui cùm vno coniungi debeant & cum sacra monade colligi atque ad sacerdotum vitam, quantùm licet, formari, quod ei Ordini in multis Ordo ille similis sit, & vnus ex omnibus eorum qui initiantur ad eum proximè accedat. Signum verò figuræ crucis, vt iam à nobis dictum est, declarat vniuersarum ad corpus pertinentium cupiditatum priuationem.*

DETONSIO MONASTICA.

CAPILLVS *autem* TONSVS *puram nullaque figura fucatam vitam indicat, quæ non fictarum figurarum aut colorum inductione deformitatem mentis ornet, sed per ipsa in se ipsa, non humanâ pulchritudine, verùm singulari & vnicâ ad Dei exactissimam similitudinem excitetur.*

Vestis monastica mutatio.

PRIORIS *vero* VESTIS DETRACTIO, & ALTERIVS INDVCTIO, *significat à media sancta vita ad perfectiorem traductionem: quemadmodum in ortu à Deo seu baptismo, vestis vicissitudinem ac mutationem à vita expiabatur, ad contemplationis sapientiæque statum & habitum, migrationem significare dicebamus.*

Quod si nunc etiam & sacerdos & omnes sancti qui intersunt, eum qui initiatus est consalutant, intellige sanctam eorum, qui diuinitatem imitantur, societatem, amanter cum diuina lætitia inter se gratulantium.

Postremò

Postremò sacerdos ad diuinam communionem inuitat eum, qui initiatus est, sanctè indicans illum qui consecratus est, si verè ad MONACHORVM *institutum quod singulare est peruenerit, non solùm spectatorem sacrorum quæ ei permissa sunt, fore, nec ritu medij Ordinis in sanctissimorum sacramentorum societatem communionemque venturum, sed cum diuinâ eorum sacrorum quæ percepit, communione, venturum esse ad diuinæ societatis adeptionem.*

Vindeciæ scriptorum S. Dionysij Areopagitæ.

De Monachorum institutione, vestitione, vel TONSVRA, quid aptius aut apertius dici potuerit, non video. Verùm haud parùm reluctantur huius auctoris fidei auctores non pauci, sed malæ fidei penè omnes. Fatentur enim Magdeburgenses Centuriatores, verè de Monachis scripta quæ superiùs à Dionysio descripta recensuimus: sed eum negant esse Dionysium Apostoli Pauli discipulum. Negat idipsum Laurentius Valla, Erasmus, Lutherus, Caluinus necnon hæretici omnes. Quibus aliquot argumentis responsuri, certis temporum scalis, ad Ecclesiæ nascentis cunas ascendentes ostendamus in singulis seculis probatos horum Dionysij scriptorum adsertores extitisse.

Magdeburgens. cent. 1. lib. 2. cap. 10. col. 624.

Primùm

Primùm hoc nostro Seculo decimo septimo, nobis occurrit Petrus Lanſſelius Grauelinganus Soc. Ieſu preſbyter qui perdoctam *de S. Dionyſio deque ſcriptis eius apologeticam diſputationem* euulgatum iuit, qualem tomo primo Bibliothecæ patrum cum adiunctis Leonardi Leſſij cenſuris videre licet. Et ille quidem auctor hic mihi pro Climaco penè totus, vt quâ ſeculorum ſerie deſcendit, eâdem aduſque Dionyſij tempora ſcandam.

SECVLO XVI. Eruditiſſimus Budæus manuſcriptum vnum reliquit curis vigiliſque ſuis diligenter emendatum notiſque illuminatum, quæ Pariſijs deinde in lucem prodierunt. Petrus Faber Stapulēſis libros eoſdem perpetuis annotationibus illuſtrauit, Ioachimus Perionius in Latinum vertit. Prętęrea præſtantiſſimi viri atque illuſtriſſimi, Baronius, Bellarminus, alijque, eorum obiectiones doctè refutarunt, qui & auctorem & eius ſcripta in dubium reuocaſſent.

SECVLO XV. Cardinalis Beſſario doctrinâ ſuâ quàm purpurâ ſplendidior, eadem ſcripta vera & legitimâ eſſe defendit. Marſilius Ficinus in Latinum conuertit librum de diuinis nominibus, & quē de Myſtica Theologia ſcripſit & rem omnem Commentarijs illuſtrauit. Ijſdem ferè

ferè temporibus Ioannes Picus Mirandulanus, cuius ingenij magnitudo atque excellentia orbem vniuersum obstupefecit suis laudibus eum ad cælum extulit, præsertim eo libro quem doctissime elucubrauit: *De ente & vno.*

SECVLO XIV. Nicephorus Calixtus Xãtopulus, qui Ecclesiasticam Historiam memorabili operâ contexuit, sub Andronico Paleologo, inter alia quæ de viro sancto memorat, ait illum & lauacro salutari tinctum, & Athenis Episcopum renunciatum, manibus D. Pauli. Tum indicem proponit eorum voluminum quibus fruimur, quæque temporum iniuriâ desiderantur.

SECVLO XIII. Georgius Pachymedes inter Græcos politâ & excultâ paraphrasi, Dionysij libros illustrauit: & è Latinis D. Thomas celsissimus apex theologiæ, libros *De diuinis nominibus*, luculenter exposuit, & in *Theologica Summa*, alijsque in locis citat eos frequenter ad abstrusissima quæque mysteria & reconditas fidei quæstiones comprobandas.

SECVLO XII. Hugo de S. Victore qui sub Ludouico Iuniore florebat, dictus vulgo *secundus Augustinus* propter vberrimam elegantissimamque doctrinam, & ingenij præstantiam, splendidissimos & sua-

suauissimos Commentarios in Cælestem Hierarchiam edidit: quos eidem Regi dedicauit.

SECVLO XI. Fuit Euthymius cognomento Zigabenus inter doctos suæ ætatis clarissimus in Græcia, qui in Panoplia sententias sæpe atque flosculos è Dionysio nostro decerptos delectosque laudat.

SECVLO X. Symeon Metaphrastes cuius viri auctoritas in Oecumenico Florentino Concilio Sess. VII. adducitur, S. Dionysij vitam literis mandauit, & libros qui in manibus sunt vt veros ac germanos agnouit. Suidas qui eodem scribebat seculo, de eius vita moribusque similia memorat: nec in libris recensendis dissentit.

Libri S. Dionysij mittuntur in Galliã ab Imperatore.

SECVLO CIRCITER IX. Libri S. Dionysij missi fuerunt in Galliam à Michaele Imperatore Constantinopolitano, qui eos, velut magnificum regiumque munus, Ludouico Imperatori Occidentis, cognomento Pio, dedit; cùm didicisset quantâ obseruantiâ & religione magnum Dionysium prosequeretur; quam etiam videretur habere quasi propriam & hæreditariam, cùm eundem auus atauusque Imperator Carolus Magnus & Pipinus coluissent. Ludouicus Pius summa lętitia exceptos è vestigio misit ad Hilduinum Mona-

Monasterij S. Dionysij Abbatem in Francia. Michael Singulus qui tum viuebat, rem publicâ laudatione celebrauit & Methodius in eius honorem Græcâ linguâ confecit acta, quæ vsque in hodiernam diem reperiuntur. Ioannes Exingena Græcis & Latinis literis doctus, paulo post, libros eos primus in Latinum vertit: idque iussu Caroli Calui, qui in Imperium paternamque pietatem successerat anno ferè octingentesimo sexagesimo. Anastasius qui eodem æuo Bibliothecarius fuit sanctæ sedis Apostolicæ, ad eundem scripsit Imperatorem literas, quarum initium est: *Inter cætera studia*. Vbi adparet quantum studij, industriæque poneret summus ille Galliæ & totius Occidentis moderator in scriptis B. Dionysij legendis & intelligendis.

Secvlo viii. S. Ioannes Damascenus lux & decus eorum Theologorum, qui à præstanti eruditione *Scholastici* nomen habent, opera sæpe illius laudat, neque id ferè vnquã sine præfatione honoris, meritoque præconio; quippe quem nominat: *diuinum Areopagitam, sanctissimum & eloquentissimum Dionysium*, & Tractatu *De ijs qui in fide quiescunt*, appellat: *Diuinis rebus abundantem, profundumque Dionysium.*

Ioan. Damasc. orat. de fidel. defunctis.

Secun-

Secundum Generale Concilium Niceæ celebratũ anno DCCXXVII. sub Adriano Papa citat eundem, & *Magnum Dionysium appellat*. Idem Pontifex Maximus scribens ad Carolum Magnum, vocat Areopagitam *Episcopum Athenarum, hominem Apostolicum:* aitque dictum fuisse à S. Gregorio: *Antiquum patrem & Doctorem*; à sacris item consilijs & decessoribus suis cõprobata illius fuisse opera: ex ijsdẽ fuisse laudatas prõptasque sentẽtias; & præsertim ex Epistolâ, quã ad D. Ioannem scribit, ad imaginum cultum & religionem tuendam.

Concil. Nicen. c. 2. tom. 3. Concil. Adrian. Pap. ad Carolum Magn. tõ. 3. Conc. ep. 3. c. 36.

SECVLO VII. Hoc est circa annum Domini DCXL. floruit Maximus, excellenti artium cognitione vere maximus, & singulari auctoritate apud Heraclium Imperatorem; cui se lubens à comitatu palatioque subduxit, quòd pestem in eo grassantem Monothelitarũ videret, religiosis se claustris addixit, in quibus placidâ quiete perfruẽs multos edidit confecitq; libros: inter quos Scolia sunt in opera Dionysij Areopagitæ. Tandẽ ipsi lingua euulsa fuit, hæreticorum factione impioque maleficio inclytusque martyr è sordibus custodiæ, & pædore carceris ad beatæ æternitatis vsuram euolauit. Eodem seculo vigebat Sophonius Patriarcha Hierosolymitanus, qui ad Sergium Constantinopolytanũ item

item Patriarcham scribens literas, quæ in vndecima actione sextæ synodi inseruntur, Dionysij auctoritatem adhibet ad cõfutandos errores Monothelitarum, eumque Dionysium à D. Paulo captum ait ex Areopago, Deoque mancipatum. Eadem etiam erat vsus auctoritate Macharius Archiepiscopus Antiochenus, præfata hæresi imbutus, vt constat ex fine Actionis secundæ.

SECVLO VI. Anastasius Episcopus Antiochenus dictus Synaïta, vir exquisitæ eruditionis & exemplar sanctitatis, vt auctor est Euagrius, in eximio quodam Cõmentario quem inscripsit: *Contemplationes Anagogicas in exameron*, illum indigetat celeberrimum rerum diuinarum mystam, Apostolicum Dionysium. Diuus Gregorius Magnus *antiquum venerandumque patrem* nominat: vtiturque eius auctoritate, vt probet Tutelares ex infimo esse Ordine vltimæ hierarchiæ.

Greg. homel. 34 de drachma perdita.

SECVLO V. Si Liberato Afro qui anno DXX. floruit adhibemus fidem, Sanctus Cyrillus Alexandrinus Antistes, eum laudat, in Theodorum & Diodorum agens Nestorianorum primipilos: quod etiam fecit libro, *de incarnatione*.

Liberatus Afer Diaconus in Breuiario de causa Nestoris & Eutychetis cap. 10.

SECVLO IV. D. Gregorius Nanzianzenus eundem haud obscurè designat vbi

scriptoris

scriptoris antiqui meminit, qui præstabili quadam sapientia disputasset de Seraphinis qui Tabernaculum operiunt & τελεσιάγιον magno ardore decantant: cùm certum sit magnum Dionysium composuisse περὶ τῶν θείων ὕμνων: *De diuinis Hymnis.* cuius meminit sub finem capitis septimi de Cælesti Hierarchia. Eodem seculo S. Ioannes Chrysostomus eleganter eum nominat πεπινὸν & ἔφνη. Vt legitur in Epistola Anastasij Bibliothecarij ad Carolum Caluum.

SECVLO III. Dionysius Alexandrinus Origenis auditor luculentos in eius opera scripsit Commentarios, vt Maximus, vir doctissimus, prodidit. *S. Max. in c. 5. cæles. Hier. orat. 38.*

SECVLO II. Dionysius Corinthi Episcopus, ait illum Antistitem Athenarum. *Euseb. lib. 4. cap. 23.*

PRIMO SECVLO D. Lucas eius describit nomen, & ad fidem Christianam conuersionem. Vide pluria primo libro operis illius quod inscripsi: De Fũdaminibus Regulis & Progressibus omnium Ordinum. vbi quæ hic deesse vides ad plenarias vindecias Dionysiani scripti de Tonsura Monachorum, affatim suppeditamus. *Act. 17.*

CAPVT VI.

Isidorus & Durandus quidnam senserint de Ecclesiastica Tonsura.

Isid. de diuin. offic. in Cõcil. Aquisgran. ca. 1.

„TOnsuræ Ecclesiasticæ vsus à Nazaræis, ni fallor, exortus est: qui prius „crine seruato denuo post vitæ magnam „continẽtiam, deuotione completa, caput „radebant, & CAPILLOS in ignem sacrifi„cij ponere iubebantur: scilicet vt perfe„ctionem deuotionis suæ Domino con„secrarent. Huius ergo exempli vsus ab A„postolis introductus est, vt qui diuinis „cultibus mancipati, Domino consecran„tur, quasi Nazaræi, id est, sancti Dei, CRI„NE PRÆCISO innouentur. Hoc quoque & „Ezechieli Prophetæ iubetur, dicente do„mino: *Tu fili hominis, sume tibi gladium*

Ezechiel. 5

„*acutum, & duces super caput tuum & „barbam*. Videlicet quia ipse sacerdota„li genere Deo in ministerio sanctifica„tionis seruiebat. Hoc & Nazaræos „Priscillam & Aquilam, in Actis Apo„stolorum primos fecisse legimus, Pau„lum quoque Apostolum & quosdam dis„cipulorum Christi, qui huiusmodi cultu „imitandi extiterunt.

Est

»Est autem Clericis TONSVRA signum »quoddam, quod in corpore figuratur, & »in anima agitur: scilicet vt hoc signo & »religione vitia resecentur, & criminibus »carnis nostræ, quasi crinibus exuamur: »atque inde innouatis sensibus, vt comis, »rudibus, enitescamus, *expoliantes nos*, iux- »ta Apostolum, *veterem hominem cum a- »ctis suis, induentes nouum, qui renouatur »in agnitione Dei:* quàm renouationem in »mente oportet fieri, sed in capite demon- »strari, vbi ipsa mens noscitur habitare. *Tonsura signum quale.* *Ad Coloss. 3*

»Quod verò detonso capite superius, in- »ferius circuli corona relinquitur; sacer- »dotium regnumque Ecclesiæ in eis existi- »mo figurari. Tiara enim apud veteres cō- »stituebatur in capite sacerdotum: hæc ex »byssо confecta, rotunda erat, quasi sphæ- »ra media, & hoc significabatur in parte »capitis tonsi: Coronæ autem latitudo au- »rei circuli est, qui regum capita cingit. V- »trumque itaque signum exprimitur in ca- »pite clericorum, vt impleatur corporis »etiam quâdam similitudine, quod scrip- »tum est Petro Apostolo prædocente: *Vos »estis genus sanctum, regale sacerdo- »stium.* *1. Petr. 2.*

»Quæritur autem, cur sicut apud anti- »quos Nazaræos, non ante coma nutritur, »& sic tondetur? sed qui hæc exquirunt,

„animaduertant. Quid sit inter illud pro-
„pheticum velamentum, & hanc Euange-
„lij reuelationem, de qua dicit Apostolus:
2. Cor. 3. „*Cum trãsieris ad Christum, auferetur vela-*
„*men*. Quòd autem significabat velamen
„interpositum inter faciem Moysis, & as-
„pectum filiorum Israel, hoc significabat
„illis temporibus coma sanctorum. Nam
„& Apostolus comam pro velamento di-
„cit esse: Proinde iam non oportet vt ve-
„lentur crinibus capita eorum, qui domi-
„no consecrantur; sed tantùm vt reuelen-
„tur: quia quod erat occultum in sacra-
„mento prophetiæ, iam in Euangelio de-
„claratum est.

Hactenus quidem Isidorus, cuius sententiæ subnectendum ratus fui Durandi sensum de CORONA CLERICORVM. Sic enim apud eum lego:

Guill. Durand. in Ration. lib. 2. cap. 1. „Circa CORONAM CLERICORVM, tria ad-
„tendenda sunt, scilicet capitis abrasio,
„capillorum detruncatio, formæ circula-
„tio. Capitis abrasionem tria sequuntur;
„scilicet, munditię conseruatio, deforma-
„tio, & denudatio: Munditiæ conseruа-
„tio quia ex capillis sordes in capite ag-
„gregantur: Deformatio, quia capilli ad
„ornatum sunt. Significat ergo TONSVRA
„mundum & non formabilem vitam, id
„est, quòd Clerici debent habere mundi-

tiam

„tiam mentis interiùs & non formabilem
„vitam, hoc est non exquisitum habitum
„exterius secundum Dionysium in Eccle-
„siastica Hierarchia.

„Rasura quoque & tonsura capillorum
„est depositio omnium temporalium. Cle-
„rici enim victu & vestitu contenti, om-
„nia communia habere debent, *xi. q. i.*
„*clericus, & cap. dilectissimis*. Vnde iuxta
„Apost. COMAM NON NVTRIANT: sed ca-
„put desuper in MODVM SPHÆRÆ RA-
„DANT XXIII. dist. prohibitæ. Denuda-
„tio autem ipsa superioris partis capitis,
„nullum debere esse medium inter nos &
„Deum demonstrat, vt reuelata facie
„gloriam Domini liberè contemplemur.
„Rursus radimus caput relictis inferius
„IN MODVM CORONÆ capillis, quia caput
„mentem signat: capilli verò seculares co-
„gitationes. Sicut ergo caput mundatur
„superius à capillis, ita mens nostra dum
„superiora, id est, cœlestia cogitat, à
„secularibus cogitationibus mundari de-
„bet. Sed pars inferior capillos habet:
„quia non est prohibitum aliquando de
„secularibus cogitare, sine quibus vita
„præsens duci non potest, *i. quæ. i. si quis*
„*obiecerit*. Circa detruncationem capillo-
„rum notandum est, quia illa significat,
„quòd clerici omnes superfluas cogitatio-

„nes debent à mente abscindere. Abton-
„so igitur capite & patentibus auribus, in-
„cedere debent, ne capilli crescendo au-
„res operiant, & oculos impediant, *xxiii.*
„*dist. non liceat, quoniam prouidendum est*;
„nec seculares cogitationes aures & men-
„tis oculos impediendo, nos ad secularia
„trahant. Vnde CAPILLOS SVPER AVRES
„TONDEAMVS: vt quinque capitis sensus
„expeditos ad Dei seruitium habeamus.
„Bene igitur ad Ezechielem dicitur: *Sa-*
Exod. 44. „*cerdotes caput suum non radant, neque co-*
„*mam nutriant: sed tondentes attondeant ca-*
„*pita sua*. Siquidem vt ait Greg. in pa-
„storali, lib. II. c. XVIII. *Capilli in capite*
„*exteriores, sunt cogitationes in mente. Qui*
„*dum super cerebrum insensibiliter oriun-*
„*tur, curas vitæ præsentis exprimunt. Quæ*
„*quia ex negligenti sensu importunè ali-*
„*quando prodeunt, quasi non nobis sentien-*
„*tibus procedunt. Quia ergo Sacerdotes qui*
„*sunt sacri fidelium duces, solicitudines ex-*
„*teriores habere possunt, nec tamen eis ve-*
„*hementer incumbere debent, rectè caput ra-*
„*dere, & comam prohibentur nutrire, vt*
„*cogitationes cordis de vita subditorum, nec*
„*à se funditus amputent, nec rursus ad cres-*
„*cendum nimis relaxent*. Et bene subditur:
Ezec. 14. „*Tondentes attondeant capita sua: vt vi-*
„*delicet curæ temporalis solicitudines, &*

quan-

»*quantum necesse est, prouideant: tamen*
»*rescindantur citius, ne immoderatius excres-*
»*cant. Dum ergo per administrationem ex-*
»*teriorem, prouidentia corporum, vita prote-*
»*gitur, & rursum per moderatam cordis in-*
»*tentionem non impeditur, capilli in capite*
»*Sacerdotis reseruantur, vt cutem cooperiant:*
»*& resecentur, ne oculos claudant.* Circa for-
»mæ CIRCVLATIONEM seu CORONAM scié-
»dum est: quod fit propter multa. Primò
»in signum quòd Christus Rex noster se-
»ipsum in ara crucis oblaturus, SPINEAM
»CORONAM portauit. Vnde & nos, qui per
»eandem passionem saluari desideramus,
»Dominicæ passionis signum, id est, for-
»mam spineæ Coronæ, quam ipse vt spi-
»nas peccatorum nostrorum auferret in
»passione portauit in capite, in vertici-
»bus nostris portamus, vt sicut ille pro no-
»bis, sic & nos pro illo irrisiones & oppro-
»bria paratos esse libenter sufferre mon-
»stremus. Secundò, circulus capillorũ, vir-
»tutem æqualitatis vndique rationi cõsen-
»tientem designat. Túc etiã temporales res
»benè cogitãtur, si cõueniant rationi. Ter-
»tiò CIRCVLARIS FIGVRA sit, quia hęc figu-
»ra nõ habet principiũ, neq; finẽ. Per quod
»datur intelligi quod clerici sunt ministri
»Dei, qui nõ habuit principiũ neque habe-
»bit finem. Quartò, hæc figura nullũ habet

„angulum, per quod significatur, quòd „clerici non debent habere sordem in vita: „quoniam vbi angulus, ibi sordes, vt dicit „Bern. Et quòd debent habere veritatem „in doctrina, quoniam veritas angulos nõ „amat: vt dicit Hieron. Quintò, quia hæc „figura, omnium figurarum est pulcherri„ma. Vnde in hac Deus cælestes creaturas „fecit, per quòd significatur, quòd clerici „debent habere pulchritudinem interius „in mente: & exterius in conuersatione. „Sextò, quia hæc figura est omnium sim„plicissima. Nam secundum Aug. nulla „figura ex vna linea tantum consistit, nisi „sola circularis, quæ vnica linea claudi„tur: per quod significatur, quod clerici de„bent habere simplicitatem columbinam: *Matth. 5.* „iuxta illud *Estote simplices, sicut columba, „vt. q. 1. ex merito.* Septimò corona cleri„cos esse specialiter regnum Dei demon„strat. Ipsi namque secundùm Hier. xii. q. „1. duo sunt, *Reges*, & *Sacerdotes*, id *Vide quæ superius diximus.* „est, Regales Sacerdotes, & sunt Reges, id „est, se & alios in virtutibus regentes: & „ita in Deo regnum habent. Sanè rasura „capitis clericorum fit, sicut ait Beda in „historia Anglorum, in memoriam eius, „quia cùm B. Petrus in Antiochia prædi„caret, abraserunt summitatem capitis e„ius in cõtumeliam nominis Christiani & Domi-

„Dominicæ passionis: quod quidem ho-
„die toti clero in honorem traditur.

„Fuerunt tamen, qui dicerent, quod tō-
„suræ ecclesiasticæ vsus à Nazaræis, qui
„omnia veteris legis custodiunt, exortus
„est, XXIV. q. III. ver. Nazaræi. Hi enim
„prius crine seruato, denuo post magnæ
„vitæ continentiam, CAPVT RADEBANT:
„& capillos in igne sacrificij mittebant, vt
„perfectionem deuotionis suo Domino
„consecrarent. Quorum exemplo ab Apo-
„stolis introductum est, vt & Nazaræi ac
„sancti Dei crine prætonso innouentur:
„quamuis olim Christiani à Iudæis quasi
„in opprobrium Nazaræi vocarentur, pro
„eo, quod Saluator noster à vico quodam
„Galilææ Nazarænus appellatus est.

„Potest etiam dici, quod vsus tonsuræ à
„lege occasionem traxit. Sacerdos namque
„legis, tyaram, id est, pileum ex byssо in
„modum mediæ sphæræ in capite; Rex ve-
„ro coronam gestabat, pars verò capitis
„rasa tyaram, circulus criniū designat co-
„ronam, ad notandum, quod instituit eos
„Deus genus electum in *Regalem Sacer-* 1. Pet. 2.
„*dotem*. Rursus lex coronam quatuor di-
„gitorum, super mensam, & desuper au-
„reolam fieri iubebat. Cæterùm ad Eze- Ezech. 5.
„chielem Dominus dicit: *Sume gladium, a-*
„*cutum, & educ per caput tuum & barbam.*

Longi-

„Longitudo namque capillorum multitu-
„dinem significat peccatorum. Hinc igi-
„tur clerici barbas sibi radere informan-
„tur. Ratio namque pilorum barbæ, qui ex
„superfluis stomachi prouenire dicuntur
„humoribus, designat, quod vitia & pec-
„cata, quæ in nobis superflua sunt, reseca-
„re debemus. Radimus enim barbas, vt per
„innocentiam & humilitatem puri videa-
„mur, & Angelis, qui semper in iuuenili æ-
„tate florent, coæquemur. In ieiunijs ta-
„men quandoque capillos crescere per-
„mittimus, quia cogitationes quæ contra
„Deum non sunt, vt est ecclesiam ædifica-
„re, agrum colere, & similia, quæ tempo-
„re abstinentiæ fieri solent, prohiberi non
„debent. Concilium Carthaginense, sta-
„tuit: extrà de vita & honestate cleric.
„XXXIII. dist. *si quid: Clerici neque comam*
„*nutriant, neque barbam.*

CAPVT VII.

Rasura Clericorum ac Monachorum alia in Oriente, alia in Occidente.

QVoniam non æque Monachi omnes, nedum Clerici, abrasis barbis incedere consueuerunt, nec Pædagogus Christianus barbam nouaculæ subiecit, sed tantum

Clem. Alex. in Pædageg. li. 3.

tantum forficibus: aliam prorsus diuersamque Orientalẽ ab Occidentalibus consuetudinem moremque fuisse, certum est. In Ecclesia siquidem Orientali nunquam barba rasos inuenimus monachos vel clericos: secus autem in Ecclesia Occidentali. Cuius rei diuersitatis originem acuratiùs perueſtigauit Baronius.

Ac vt primùm dicamus de Clericis, qui in Ecclesia præsertim Occidentali sunt Monachis antiquiores: inuenimus hac ex parte secundum morem diuersarum prouinciarum, tam laicos quàm Clericos inter Gentiles viuentes, agere consueuisse: & in primis quia in Oriente tam Iudæi quàm Græci, barbati incederent, Christianos ibidem cõuiuentes idem factitasse.

In Occidente verò, atque potissimũ Romæ, quoniã præsertim qui maturioris ætatis (vt auctor est A. Gellius) essent, tanquã quoddam nobilitatis insigne radere barbam consueuerant, Christiani Romæ agentes, cur non sicut cæteri abraso mento incederent, cùm honestus spectatusque haberetur eiusmodi communis omnium cultus, nec aliqua, vel leuis saltẽ esset eius obseruationis superstitio? Nam alia ratio erat Isidis Sacerdotum sua etiam supercilia radentium. Neque verò refert notatum à Dione & alijs, Hadrianum Imperatorem barbatum

Gell. lib. 3. cap. 4.

Dio in Hadriano.

barbatum inceſſiſſe, alioſque poſt eum paucos: non enim cæteri Romanorum in imitationem iuêre. Itaque ſic Clementem, ſic Pudentem Senatorij ordinis homines, ſic denique ſiue Romanos ſiue cæteros Romæ agentes, exceptis Orientalibus, adtonſos barbâ fuiſſe, nulla dubitatio ſuboritur.

Certè veſtitu tantum ab Ethnicis diſtinctos fuiſſe Chriſtianos, eoſque *palliatos* inceſſiſſe, Tertullianus ſæpiculè teſtatur; neque enim aduertimus paganos illos & calamis prurientibus poëtas, *barbam* eorum ſugillaſſe, ſicut ſugillauere *pallium*.

Verùm, adfectata illa nimis barbæ non adtõſio vel abraſio, ſed auulſio & pilorum auerruncatio potius dicẽda, ab ipſis etiam Gentilibus condemnatur, vt de Iulio Cæſare & Othone prodidit Suetonius. Tertullianus huiuſcemodi notat cùm ait: *Barbam acriùs cædere, interuellere circundare capillum & componere, &c.* Chirurgi ſiquidem inſtrumento * *Volſella* dicto alijſque medicaminibus femineum vultũ penitus adfectabant. Cæterùm, barbæ illa abraſio, quæ more maiorum, abſque fuco arteue, ſimpliciter facta eſſet, Romanis omnibus æque communis fuit.

Tertull. de cultu fœmin. cap. 8.

**Tert. lib. de pallio cap. 4.*

Quin etiam inter Græcos, nonnullos

in

in suis ipsorum Regionibus quò se Romanorum studiosos exteriori symbolo declararent, testatur Dio cõsueuisse contra Græcorum omnium suorumque Gentilium cõsuetudinem, barbâ rasos incessisse. Verùm istud ipsum quod agerent Ecclesiæ Romanæ Christiani, præstitisse etiam cæteros orbis Occidentalis Fideles facile quis poterit existimare. Nam de Sacerdotibus Galliarum, perspicuum est barbâ rasos fuisse. Est eâ de re, manifestissimum exemplum in Sidonio Apollinari, qui Germanicum Episcopum Cantillanensem sic describit vt eius fuerit *vestis adstricta, tonsus Cothurnus,* CRINIS IN ROTÆ SPECIEM *accisus,* BARBA INTRA RVGARVM LATEBRAS MERSIS *ad crucem* SECTA FORFICIBVS.

Dio. Chry. Orat. 36.

Sidon. lib. 4. Epist. 13.

Seruare igitur in his locorum consuetudinem, vt secundum cuiusque prouinciæ mores vel barbati vel adtonsi barbis incederent Sacerdotes & Monachi, velut lege quâdam fuisse præscriptum, ex eo saltẽ potest facilè perspici; quòd cùm sæpissimè Occidentales vnà cum Oriẽtalibus Sacerdotibus ad publicos conuentus Episcopi conuenissent, nullum vnquam super his inuicem exorta controuersia reperiatur: ratis nimirum omnibus id esse legitimum, quod quisque pro more suorum gentilium facere videretur.

Qui

Qui primus omnium isthæc de *barbâ* Latinis Sacerdotibus ausus est exprobrare, Phocius fuit, Episcopus Constantinopolitanus ad Nicolaũ Pontificem Romanũ scribens; hæc inquam præsumpsit homo schismaticus, cùm alioqui esset ipse Eunuchus Glaber. Hactenus fere Baronius in Annalibus seculo primo.

CAPVT VIII.

Monachi à Clericis tonsurâ distincti: & qualiter ad cutem rasi. Item de semitonsis Christianis ad metalla damnatis.

DIstinctam fuisse tonsuram Monachorum ab ea quæ est Clericorum, certum est, cùm illi non tantùm verticem capitis, sed totum ferè caput radere consueuissent: vt sic nimirum quodnam esset ipsorum vitæ studium declararent. Abrasionem quippe capitis, symbolum ac hieroglyphicum fuisse lugentis atque mærentis, non solùm testimonijs diuinæ scripturæ sed & externorum adsertionibus suis locis hoc in Opello prodidimus.

Vt

Vt igitur quod Monachorum erat officij, solitariam nempe vitam agere, ac peccata deplorare, hoc etiam corporis cultu profiterentur, optimè iureque consultum est, vt ipsâ initiatione monasticæ conuersionis, capita raderent.

De ea Monachorum tonsura Paulinus ad Seuerum scribens agit hisce verbis: *Nos adeant & reuisant conseruuli & compallidi nostri, non vestibus pictis superbi, sed horrentibus cilicijs humiles: nec chlamyde curta lini, sed sagulis palliati: nec baltheo, sed veste succincti: nec improbâ* ATTONSI CAPITIS FRONTE CRINITI, *sed castâ informitate* CAPILLVM AD CVTEM CÆSI & INÆQVALITER SEMITONSI, & DESTITVTA FRONTE PRÆRASI, & *ornatu pudicitiæ inornati.* Paulin. Epist. 7.

Quod autem SEMITONSOS vocitet; an respexit fortasse ævi superioris mores & in Christianos etiam ad metalla pro Christo damnatos tyrannidem? Hoc reor, nam qui seruitia sua capite testarentur Monachi, mancipiorum & ergastulorum instar semiraſi incedebant. De mancipijs paganis dixi libro primo, nisi etiam hîc inter eos adnumerare velim Christianos seruos quorum non sine cordolio meminit Cypria-

Cyprianus eosdem epistola subsequente consolatus. In ea verò martyrum ad metalla damnatorum singulis tormentis singula solatia pulchra antithesi opponens.

Cyprianus Nemesiano, Felici, Lucio, alteri Felici, Litteo, Poliano, Victori, Iaderi, Datiuo, Coepiscopis. Item compresbyteris & Diaconibus & cæteris fratribus in metallo constitutis, Martyribus Dei Patris omnipotentis & Iesu Christi Domini & Dei conseruatoris nostri æternam salutem.

Epistola S. Cypriani 77.

Gloria quidem vestra poscebat, beatissimi ac dilectissimi fratres, vt ad conspectum atque ad complexum vestrum venire ipse deberem, nisi me quoque ob confessionem nominis relegatum præfiniti loci termini coercerent: sed quo modo possum repræsento me vobis, & ad vos etiam si corpore & gressu venire non datur, dilectione tamen & spiritu venio, exprimens litteris animum meum, quo in istis virtutibus laudibus vestris lætus exulto, participem me computans vobis etsi non passione corporis, consortio caritatis. Ego possim tacere & vocem meam silentio premere, cum de carissimis meis tam multa & gloriosa cognoscam, quibus vos diuina dignatio hono-

honorauit, vt ex vobis pars iam martyrij sui consummatione præcesserit, meritorum suorum coronam de domino receptura: pars adhuc in carcerem claustris, siue in metallis & vinculis demoretur, exhibens per ipsas suppliciorum moras corroborandis fratribus & armandis maiora documenta; ad meritorum titulos ampliores tormentorum tarditate proficiens, habitura tot mercedes in cælestibus præmijs, quot nunc dies numerantur in pœnis? Quæ quidem vobis fortissimi ac beatissimi fratres, pro merito religionis ac fidei vestræ accidisse non miror, vt vos sic Dominus ad gloriarũ sublime fastigium clarificationis suæ honore prouexerit; qui semper in ecclesia eius custodito fidei renore viguistis, conseruãtes firmiter dominica mandata, in simplicitate innocentiam, in caritate concordiam, modestiã in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adiuuandis laborantibus, misericordiam in fouendis pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in disciplinæ seueritate cẽsuram. Ac ne aliquid ad exemplum bonorum factorum deesset in vobis, etiam nunc in confessione vocis & passione corporis, fratrum mentes ad diuina martyria prouocatis, duces vos exhibendo virtutis: vt dum

grex pastores suos sequitur, & quod fieri à præpositis cernit, imitatur, paribus obsequiorum meritis à Domino coronetur. Quod autem fustibus cæsi prius grauiter & afflicti, per eiusmodi pænas initiastis confessionis vestræ religiosa primordia, execranda nobis ista res non est. Neque enim ad fustes Christianum corpus expauit, cuius est spes omnis in ligno. Sacramentum salutis suæ Christi seruus agnouit, redemptus ligno ad vitam æternam, ligno prouectus est ad coronam. Quid vero mirum, si vasa aurea & argentea in metallum, id est, auri & argenti domicilium dati estis, nisi quod nunc metallorum natura conuersa est, locaque quæ aurum & argentum dare ante consueuerant, accipere cœperunt? Imposuerunt quoque compedes pedibus vestris, & membra felicia ac Dei templa infamibus vinculis ligauerunt; quasi cum corpore ligetur & spiritus, aut aurum vestrum ferri contagione maculetur. Dicatis Deo hominibus & fidem suam religiosa virtute testantibus, ornamenta sunt ista, non vincula; nec Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui non à fabro, sed à Domino resoluuntur! O pedes felici-

ter

ter vincti, qui itinere salutari ad paradisū diriguntur. O pedes in seculo ad præsens ligati, vt sint semper apud Dominum liberi. O pedes compedibus & transuersarijs interim cunctabundi, sed celeriter ad Christum glorioso itinere cursuri; Quantum vult hic vel inuida crudelitas, vel maligna, nexibus vos suis & vinculis teneat; cito à terris & pœnis istis ad cœlorum regna venietis. Non fouetur in metallis, lecto & culcitris corpus, sed refrigerio & solatio Christi fouetur. Humi iacent fessa laboribus viscera, sed pœna non est cum Christo iacere: squalent sine balneis membra situ & sorde deformia, sed spiritaliter intus abluitur quod foris carnaliter sordidatur. Panis illic exiguus: at non in solo pane viuit homo, sed in sermone Dei. Vestis algentibus deest: sed qui Christum induit, & vestitus abundanter & cultus est. SEMITONSI CAPITIS CAPILLVS HORRESCIT, sed cū sit CAPVT VIRI CHRISTVS, qualecunque illud caput deceat, necesse est, quod ob Domini nomen insigne est. Omnis ista deformitas detestabilis & tetra gentilibus, quali splendore pensabitur? Sæcularis hæc & breuis pœna, quàm clari & æterni honoris mercede mutabitur, cum secundum beati Apostoli vocem, *transformauerit Dominus*

corpus humilitatis nostræ, conformatum corpori claritatis suæ?

CAPVT IX.

Expenduntur miseriæ deglabratorum in seruitute Turcica, nostris etiam temporibus, Christianorum.

PRimo huius Opelli libro memini dissertationem prolixiorem de ergastulis vstulatis, rasis ac semitonsis apud Romanos egisse: nunc occasione nobis à B. Cypriano, capite superiori, præstitâ, Christianos non iam à præfatis Romanis malè habitos, verùm sub seruitute Turcica turpiter deglabratos ac miserè gementes, velut in catabulo conspiciamus.

Ac ne vagari per amplissimum tyranni Mahumetani dominium oratione fusiore cogamur, vnicam nobis Argelam lustrare decretum est: præducente scriptore, qui quæ oculis vsurparat posteris commendauit.

I.B.G. de Reg. Arg. cap. 29. Barbaria, & in ea præcipuè Argela, Christiani orbis flagellum, Barbarici murus, Europæ terror, frænum vtriusque Hesperiæ, Insularum mastix, pyratarum latibulum, omnis crudelitatis arena, & impietatis

tatis asylum, durissimè seruitutis iugo pressos detinet Christianos ad centum viginti millia, omnes ferè subditos Regis Hispaniarum; ex quibus partim Turcarum opibus, pyratarum fortunâ, Genizerorum honoribus, sociorum blanditijs decepti, partim desperatæ libertatis & quotidianarum calamitatum tædio victi, quouis anno ad Mahometismum transeunt plus quàm quingenti, præter pueros violenter circũcisos, vix pauciores quinquaginta.

Ad redemptionẽ captiuorum per ordines SS. Trinitatis & Beatæ Mariæ de Mercede, cõmunibus annis colliguntur & impenduntur, tã Hispanis, quam Italis, centũ circiter & quinquaginta aureorum millia. Ex Anglia, Francia, Polonia, Hungaria, Germania & Belgio à memoria hominum, nullus per eleemosynam ereptus est, quo fit vt tales ferè in hanc miseriarum vallẽ detrusi impotes consilij, & spe destituti eiurent religionem, cum ingenti Christianorum damno, nationis & Principum in ea dominantium dedecore.

Vt autem captiuorũ infelicitas ad cõmiserationẽ moueat omnes bonæ notæ Principes, Antistites & Christianos breuiter illud deploratissimum vitæ genus quod Argelæ vidimus, ob oculos ponẽdũ duximus.

Inprimis itaque si quæ nauis in Turcarum venit manus, statim ingenti clamore à pyratis inuaditur, & si inimica est diripitur, si amica, id est, confœderatorum Franciæ, Angliæ, Hollandiæ, tamen occupant, auferunt arma, puppim & loca munitiora secluſaque milite complēt, sarcinas excutiunt, quæ ad cibum potumque sunt, suo velut iure capiunt; demum nauarchas ad suam nauem deducunt & in consilio pyratico examinant, homineſne an merces Hiſpanicas deuehant; nec verbis, aut litteris contenti, pueros & senes infinitis verberibus cogunt fateri quod non est, & promittere quod non habent, vniuſque confeſſio ſufficit ad prædam. Subinde opibus nauium inhiantes, homines in mare proijciunt, & vacuam cum mercibus nauem adtrahunt, deſertam à ſuis iactantes: aliàs non contenti, palis funibuſque renes miſerorum maceraſſe, manus pedeſque vinctos ſurſum trahunt & flagellant, funeſodoſo caput ſtringentes cerebrum pæne elidunt, aciculis digitos configunt, calceatos pedes igni torrent; aquâ ſalsâ per os violenter infuſa corpus inflant, & pedibus ventrem prementes eructare cogunt; ſulfure nares & os fumigato opplent; ſuſpenſi in altum pedes ponderibus alligatis diſtendunt,

ſtendunt, fune obligatos ſubtus nauem per mare trahunt; & finis tormentorum captiuitas. Si quis in naui hoſtis, & is demum catenis & compedibus vinctus, in carinam & locum fætidiorem nauis detruditur, & vix mucido biſcocto & aqua vitam ſuſtinet. Si non plane ſatisfactum eſt de mercium hominumque, qui in naui ſunt qualitatibus, quotidie tormenta renouantur; & ſi pueri, blanditijs & minis inuitantur vt deficiant, & ſæpe compelluntur & mox circumciduntur. Atque eadem planè eſt facies captorum in littore aut Inſulis qui cateruatim concatenantur, & halecum inſtar aceruati in imo nauis, ad lanienam aut mercatum ſeruantur.

Vbi ad portum ventum eſt, cum riſu & ludibrijs infinitis, in triumphum ducuntur miſeri, & loco publico per triduum vænum exponuntur, & denique per ſubhaſtationem plus offerenti venduntur. Si quis fortè ex nauſea, morbo, aut vulnere malè habeat, pro ſolatio & medicina dumtaxat exprobrationes & blaſphemias audit, citiuſque cani languenti Turca ſuccurret, quàm Chriſtiano, quem etiam ſi diutiùs languerat, aut de valetudine deſperetur, in mare ſemi-viuum præcipitari, in agris, beſtijs, & feris obijci familiare eſt.

In foro videas nudos ambulare, & flagellis impelli ad currendum, saltandumque, vt membrorum dispositio internoscatur, & vendenti pretium augeat. Denique elapso triduo videas triste spectaculum, auelli ab vberibus & conspectu parentum infantes & pueros, maritos ab vxoribus, amicos & populares ab inuicem, cum infinitis lachrymis & eiulatu. Et eorum quidam Mauros sorciuntur dominos & ad agros pertracti, vel hortos curant, quæ melior conditio est, & fructus ad forum deferunt humeris aut asinis, & coguntur ferè certum pretium patronis repræsentare dietim, nisi vapulare malint; quidam nudi vnctique pinguedine inter Numidas & Arabes gregem curant, & ad vilissima sordidissimaque obsequia applicantur, aratrum ducentes, aut etiam cum asinis trahentes, flagellorum perpetuo imbre curua dorsa in asinorum contubernio macerâte, & sic modicâ aquâ & farinâ spiritum infælicem trahentes.

Alij denique in triremibus & nauibus occupantur semper vincti, & terni quaternique iunctim remigantes inter tonitrua flagellorum & continuos ictus, biscocto mucido & modico & aquâ fætente in diem substentantur, & si in terram descendunt compedes longasque cathenas trahunt, &

in

in ergastulis concluduntur, humi cubantes & vili *capoto* dumtaxat tecti, non nisi canum nomine interpellati. Si ventus minus prosper, in odium Christiani nominis crucem plantis pedũ inurunt, si cum socio loqueris, suspicionem sinistram ingeris, & trecentis aut quadringentis verberibus eneruatis, aut etiam noris Arabicis in facie vstis signaris, aut etiam auribus naribusque truncatus deformaris. Fœlix qui crudelissima mortis genera nulla sæpe ex causa seruis infligi solita, euadas.

Alij denique particulares in opido dominos sorciuntur, & in domibus quæuis seruitia nocte dieque pendunt Barbaris, ea maximè quæ aliorum nemo cupit; bonaque dominorum pars tam inclemens est, vt ne vestem quidem aut panem mancipio tribuat, interim vix horam ad somnum indulgens. Fontanam ex agro, stercus in agrum & hortos, sordes in mare, materialia ad fabricas, merces ad officinas, esculenta ad forum portare, molam asinariam domi vertere, pinsere, coquere, fodere, ordinaria sunt eorum exercitia. Si per viam obambulant, vt ad tertium verbum *Balec Sydi*, id est, *extra viam Domine*, inclamet, & salutet Barbaros; à sputis, lapidibus, trusionibus, deiectionibus in terrã, irrisionibus, alapis, baculis,

baculis, non est immunis.

Si minimum quid delinquat Christianus, aut viuus exuritur, aut in terra vt in mortario, contunditur, aut in vncum ferreum è muro præcipitatur, aut crucifigitur, aut viuus excoriatur; & ad supplicia obuios quosque Christianos tortorum loco applicãt, nec agasonum, mulionum, cacularum, lanionum & coquorum sordibus, præter Christianos vlli subseruiunt. Plurimi & præsertim pueri & adolescẽtes verberibus quotidianis penè enecantur, & in puteis & carceribus annos sæpe multos detinentur, donec eiurent religionem: etsi qui liberalioris formæ, ad nefarios vsus & horrenda nefandaque scelera domi concluduntur & continentur, & denique ad certissimam perniciem donũ magno Turcæ, eiusque officiatis mittuntur.

Si quis mitioris genij dominum fortè nactus est, is ipse periculum incurrit, quasi Nazarẽnis faueret, quod in Mahometismo peccatum est longè maximum, & idcirco fidem cũ Christianis fallere, pactiones non seruare, amicitias solo lucro metiri, regum fœdera pro re nata & vsu æstimare aut violare, Agarenis proprium est; mentiri, perpetuum; Christiano bene facere, piaculum. Et exemplis recẽtibus, memini Legatos Tunetanos suæ gentis ho-

minc

mines, contra fidem publicam in vincula detrudi, Consules Galliæ multis mensibus ergastulo concludi, ad triremes damnari, quingentis verberibus elumbari, & pæne necari, in exilium mitti, & nouissimè viuos comburi; Anglorum consuli nisi cautè se subduxisset idem pæne obuenisse; Redemptores Hispaniæ teterrimo carceri, per multos annos mancipari, & centum quadraginta per vnum redemptos ad seruitutem retrahi.

Iam verò quod expiscando & sæpe falsos testes producendo, alium te faciunt quàm es; si clericus, episcopum; si nobilis, ducem; si miles, capitaneum; si mercenarius, mercatorem; & hoc vt extremam sanguinis tui & tuorum guttam hauriant. Et si de litro conuenit, vix tum etiam securus es; resiliunt enim à pactis, & si quid perijsse sibi suspicantur decuplo fænore cònantur, quo iure qua iniuriâ recuperare.

Atque hæc corporis dispendia sunt, quibus longè maiora animam affligunt, quàm ad desperationem & mortem sæpe cogunt tormenta, ad apostasiam seducunt socij, mulieres prædæ. De virginibus & fœmineo sexu nil dico, quarum pudicitia & honor prostituitur; atque vtinam tantum vase naturali! Proles ex ei natæ circumciduntur,

ciduntur, & in conſpectu matrum inter Turcas adoleſcunt & auitam religionem oppugnant, occupante eorum infantiam blaſphemiarum horrore, pueritiam libidinum ſordibus, adoleſcentiam vitiorum omnium conſuetudine, reliquâ ætate circa omne malum occupatâ.

Et miremur in iſta lachrymarum valle oppreſſos & deſperantes à proximis annis decem, defeciſſe ex Germania ſuperiore & inferiore natos viros octingentos quinquaginta ſeptem; Anglos venientibus in numerum paucis, qui ad pyratas deficientes ſtipendia ſua faciunt, trecentos: Francos quinquaginta octo, idque in ſolo Regni Argelenſis diſtrictu, vbi gementes & ſpe aliqua à nobis lactatos reliquimus, & magiſtratibus ſingulorum locorum aut amicis nominatim ſubmiſimus: Hamburgenſes centum triginta octo, Danos & Oſtrelingos centum ſexaginta; Polonos, Hungaros & Moſcos ducentos quinquaginta; Belgas centum triginta. Miſeremini Reges & Principes, miſeremini magiſtratus & populares, & paucis ſuperſtitibus & cura paſtorum gregi dominico inuigilantium, perſeuerantibus, manus auxiliatrices afferte.

Iam appendicis loco hic ſubijciã Chriſtianorum ſupplicia quædam & exempla Chri-

Christianus si Mosquettã ingrediatur aut verba illa solemnia Turcis : *Laylah Ala Mahomos Aëra Cufra Alah Tangari Bir Berem Yla Erac*, id est, Deus est & Deus erit & Mahomet eius nuncius seu consiliarius, Deus solus, & verus Propheta, pronuncians, non curet se circuncidi, & si circumcisus ad Christum redire velle conuincitur, ad flammas damnatur, vnctus nudusque circumductus præcone causam necis præclamante, palo terræ infixo, cathena per medium corpus constrictus, igne in circuitu structo torretur, & ad cineres vsque comburitur ordinariè, & sæpe ante combustionem fustigatur aut aliquo membro truncatur. Proditionis suspecti aut palo acuto per nates intruso & transfixo, aut in vncum ferreum, è muro aut patibulo prominente desuper proiecti, manus pedesque vincti semiuiui relinquũtur, & per multos sæpe dies perseuerant in tormentis; tandem lapidibus deiecti & obruti; aut crucifiguntur clauis quattuor, fune corpus medium stringente & cruce muro ciuitatis affixa, aut viui excoriantur, aut in mortario contunduntur, quæ omnia genera suppliciorum semestri isto ferè vidimus.

Modus cõburendi Christianos.

Modus inpalandi Christianos.

In mari porrò delinquẽtes aut suspectos post

post varia tormenta antennæ, aut puppi alligatos sagittis confodere, truncos manus & pedes opponere, aut imponere orificio tormentorum bellicorum, vt cùm explodantur dissipentur, alligatos quatuor nauibus in diuersam partem remigãtibus, in totidẽ partes discerpere, è rupibus præcipites dare in pelagus, membratim dissecare, & feris escam carnes obijcere ordinarium; cum strangulari & in culeos insui mergique minus leue sit. Capitale etiam est manus in Genizerum inferre, imò limbum collari tunicæ obtexere, quo signo *Genizeri* ab alijs distinguntur; cum Mahumettana rem habere; etsi hoc posterius minus rigidè obseruetur, cùm omne libidinum & immunditiæ genus laxis habenis exerceatur impunè, imò & Sodomiæ; adulteria occulta expientur lotione vna in balneis aut mari. Et ex hoc capite est quod vix vllus vel vlla alicuius notæ sit, qui non ter hebdomatim balnea frequentet, fæminæ à meridie vsque ad quintam vespertinam, viri reliquo tempore.

Alia Christianorum tormenta.

Distinctio Genizerorum.

Hactenus ille testis oculatus de seruorum cordolijs & cruciatibus: quibus turpissimam capitis & barbæ derasionem adiungendam fuisse, didici ab eis qui plures annos pœnalem eam seruitutem miserè passi fuerant. Illam verò deglabrationem

caussâ

caussâ duplici inuentam autumo; tum ne vermibus à pædore seruituti proprio natis exedantur; tum vt pedibus sibi consulentes ipsâ rasurâ faciliùs internoscantur à Turcis & ad dominos mille verberibus tundendi retrahantur.

CAPVT X.

Tonsura olim frequens Clericis & Monachis; rasura verò vix cognita: nostris verò temporibus indiscretus vsus inualuit.

OBseruatu sane dignum, olim non tam RASVRAM quàm TONSVRAM in vsu fuisse. Tondebãtur enim demissè quidem, ita tamen vt tecta remaneret cutis. Adparet id ex Clemente Alexandrino. PILI, inquit, TONDENDI *sunt, non nouaculâ, sed tonsorum* FORFICIBVS. Hinc Optatus Mileuitanus acriter Donatistas arguens, quòd Catholicis Sacerdotibus per vim capita raserint: *Docete,* exclamat, *vbi vobis mandatum sit* RADERE CAPITA SACERDOTIBVS; *cùm è contrario tot sint exempla proposita fieri non debere.* Quin & Hieronymus scribens in Ezechielem, docet Sacerdotũ non esse comas alere, nec radi; sed ita tonderi vt cutis intecta haud maneat.

Clem. Alexand. libr. 3. Pædagogi cap. 11.
Optat. Mileuit. lib. 2. contra Parmenianũ.
Hieronym. in Ezech. cap. 44.

Denique,

Denique, Dionysius, Epiphanius, Athanasius, Palladius, Augustinus, Isidorus, Beda, Concilia Carthaginense & Toletanum, nusquam nominant *rasuram* sed solam *tonsuram*.

Vnicus est Anicetus Papa, qui *rasuræ* meminit: ast non est ea epistola prorsus indubitata; fortassis enim mentito titulo condecoratur.

Neque tamen ideò reprehendendus hodierni temporis Monachorum aut Clericorum radendi vsus: nusquam enim prohibitam rasuram comperimus: & eiusmodi ceremoniæ pro temporum ac locorum diuersitate variari possunt: quod Bellarminus paullò fusiùs edocuit, & iam vsus radendi vel tondendi libere, inoleuit. Certè enim vt aliorum Ordinum ritus hîc taceam, placuit in præfatos rasuræ atque tonsuræ modos, Constitutionum nostrarum decreta producere: RASVRA *superior siue (vt dicitur)* CORONA *sit ampla, vt Religiosos decet; ita scilicet, vt inter ipsam &* TONSVRAM, *quæ desuper aures tam Clericis quam Laicis vel Conuersis Fratribus omnibus æqualiter fieri debet, reseruentur Fratribus Clericis nõ minus quàm duo digiti capillorum: Laicis verò atque Conuersis, nullo modo concedatur deferre* CORONAM. RASVRA *verò fiat de quindecin in quindecim*

Bellarm. lib. 2 de Mon. cap. 40.

Constit. Ord. FF. Erem S. August. parte 1. cap. 8.

cim dies in æstate, in hyeme verò singulo mense. Nulli autem Fratri cuiuscunque conditionis existat, nisi infirmitatis caussa, liceat differre, vel præuenire tempus RASVRÆ, *absque superioris licentia. Concedimus tamen, quod prædicatores qui hebdomada immediatè antecedenti quinquagesimam* RASI *fuerint, si sequenti quadragesima quotidie prædicauerint, vsque ad octauam paschæ* RADI *non teneantur; alijs verò totius anni temporibus, hoc nostrum decretum penitus seruare cogantur.*

TONSVRA *autem tam* BARBÆ *quàm* CORONÆ, *ita fieri volumus, si quando fieri oporteat, vt tantum de* BARBA *&* CAPILLIS *incidatur, quantum forficibus mediante pectine, incidi potest.* Quo quidem decreto aduertis nunc rasuram iuberi, nunc tonsuram indulgeri.

CAPVT XI.

Clericos olim, monachorum more fere fuisse adtonsos, non vana coniectura est.

ACcidit quondam in Hispania, vt occasione quorundam hæreticorum, qui eandem cum Catholicis vsurparent capillorum tonsuram, ac proinde eo signo vellent videri Catholici; illius re-

gionis Episcopi, conuentu habito, dilatãdam eiusmodi capitis tonsuram statuerint hoc canone: *Omnes Clerici vel Lectores, sicut Leuitæ & Sacerdotes detonso superiùs capite toto, inferiùs solam circuli coronam relinquant: non sicut huc vsque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, vt laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispanijs huc vsque hæreticorum fuit. Vnde oportet pro amputando ab Ecclesijs scandalo, hoc signum dedecoris auferatur, & sit vna tonsura vel habitus, sicut totius Hispaniæ est vsus. Qui autem hoc non custodierit, fidei Catholicæ reus erit.*

Concil. Tolet. 4. c. 40.

Hæreticorũ corona.

Porrò, eandem CORONÆ formam in S. Nicetio Episcopo Treuirensi diuinitus efformatam habes apud Gregorium Turonensem: *Sanctus Nicetius Episcopus, ab ipso ortus sui tempore Clericus est designatus: nam cùm partu fuisset effusus, omne caput eius, vt est consuetudo nascentium infantium, à capillis nudum quidem cernebatur, in circuitu verò modicorum* PILORVM ORDO *apparuit, vt putares ab ijsdem* CORONAM CLERICI *fuisse signatam.* Vndevidere est olim quibusdam saltem in districtibus, eam coronæ formã à Sacerdotibus secularibus latam esse, qualem modò soli Monachi circumferunt.

Gregor. Turon in vita S. Patr. c. 17. S. Nicetius nascitur coronatus.

CAPVT

CAPVT XII.

De TONSVRA *Clericali vt est dispositio ad sacros Ordines.*

TOnsura non est Ordo sed dispositio ad Ordinis susceptionem. Ordo namque Sacramentum est; & Tonsura Sacramentum non est. Sicut enim Catechismus non est caussa rei sacræ à sacrando dictæ, nisi mediante baptismo, sic nec Tonsura, nisi mediante Ordine. Vnde quamuis sit quid sacramentale non est tamen Sacramentum: atque vt docet Richardus, licet Tonsura sit signum alicuius rei sacræ, tamen haud est signum rei sacrantis, quam efficiat. Non enim cùm aliquis tonsuratur, ex vi tonsurationis, sacer efficitur. *Ex Richardo dist. 24. art. 1. q. 2. lib. 4. & Ioan. Tytz in lex. Theol.*

De tonsura agit etiam Petrus Paludanus, quam appellat *Coronam*, docens per eam hominem solùm deputari ad chorum, vbi non habet aliud speciale officium sed commune, ideo nec esse Ordinem: nisi sicut dicitur Ordo religionum, qui est deputatio ad collegium in quibusdã ceremonijs: & sic dicitur de ætate & qualitate Ordinandorum cùm contingat, quòd per propriã tonsurã clericalis Ordo confertur. *Petrus Palud. dist. 24. q. 3. ar. 1. l. 4.*

Subiungit idem auctor, tonſuram eſſe diſpoſitionem congruitatis, non autem neceſſitatis, reſpectu Ordinis. Verùm reſpectu beneficij eſt neceſſitatis, necnon reſpectu iuriſ-dictionis Eccleſiæ; quia ius ſpirituale non cadit in laicum. Vnde non tenet collatio beneficij vel commiſſio iuriſ-dictionis facta non tonſurato: non Clericus enim, non eſt capax. Alius effectus tonſuræ eſt, quòd tonſuratus gaudet priuilegio fori, ita ſcilicet vt coram Eccleſiaſtico indice conueniri debeat.

Præterea, quiſquis in eum manus violentas miſerit, illicò excommunicationem incurrit: quod quidem priuilegium confert etiam tonſura Monachalis.

CAPVT XIII.

Afri Coronæ Monaſticæ deriſores VVandalorum flagellis dirè vapulabant, & pœnas luunt.

VVandali Africam ingreſſi.

ANno Domini CCCCXXVIII. Imperantibus Theodoſio & Valentiniano, Pontificatum agente Cœleſtino, ſub Coſſ. Tauro & Felice, VVandalorum graſſationibus Africa vaſtari cœpit. Simulac enim

enim anno superiore per freti Gaditani angustias sese eò terrarum immisere, fauente iam illis Bonifacij Comitis exercitu, cùm deesset omninò qui occurrendo resisteret, & adesset qui cooperando incenderet; haud secus ac impulsu venti flamma reddita vehementior, cuncta simul sacra profanaque deuastauerunt.

Quibus autem piaculis meruerit ea prouincia tam immani flagello vapulare, satis edocet Saluianus Massilienſis Episcopus suorum temporum scriptor egregius. Quis enim eo testante, nescit Africam vniuersam velut Ætnam fuisse abominandis iugiter fornicationum ignibus eructantem? *Quis non omnes omnino Afros impudicos generaliter sciat, nisi fortè ad Deum conuersos, id est, fide & religione mutatos? Sed hoc tam rarum est, ac nouum, quàm rarum videri potest, quemlibet ganeonem non esse ganeonem, aut quemcumque sæuum non esse sæuum. Tam infrequens est enim hoc & inusitatum, impudicum non esse Afrum, quàm nouum & inusitatum, Afrum non esse Afrum. Ita enim generale in eis malum impuritatis est, vt quicumque ex eis impudicus esse desierit, Afer non esse videatur.* Saluian. de vero Iudicio.

Quid autem commercij fuerit tam impuris, cum hominibus castitati deuotis,

quilibet iudicare poteſt. Hinc namque factum arbitror, vt odio quodam canino Monachos proſequerentur; & eorum tonſuram quæ adfectionum externarum abdicationem ſignificat, ſubſannarent & deriderent. Saluianus iterum nobis audiendus: *Non ſine cauſſa iſtud fuit, quod intra Africæ ciuitates & maximè intra Carthaginis muros*, PALLIATVM *&* PALLIDVM, *& reciſis comarum fluentium iubis* AD CVTEM TONSVM *videre, tam infelix ille populus quàm infidelis ſine conuitio atque execratione vix poterat. Et ſi quando aliquis Dei ſeruus aut de Ægyptiorum* COENOBIIS *aut de ſacris Hieroſolymorum locis, aut de ſanctis* EREMI *venerandiſque ſecretis, ad vrbem illam, officio diuini operis acceſſit, ſimul vt in populo apparuit, contumelias, ſacrilegia & maledictiones excepit. Nec ſolum hoc, ſed improbiſſimis flagitioſorum hominum cachinnis & deteſtantibus ridentium ſibilis quaſi taureis cædebatur: verè vt ſi quis ea inſcius rerum fieri videret, non aliquem hominem ludificari, ſed nouum inauditumque monſtrum abigi, atque exterminari arbitraretur.**

Saluian. loco prafato.

Et miramur ſi nunc barbaros illi perferunt, cùm videamus quòd ſancti viri in illis barbaros pertulerunt? Iuſtus eſt ergo

Dominus

Dominus & rectum iudicium suum. Pertulere quidem barbaros, qui centum annis eam prouinciam vastauere. Nunc ad alia quædam monachorum grauamina descendamus; quorum cœnobia; Principum carceres effecta, & Magnatum per ignominiam pœnosè detonsorum ergastula quondam fuere.

CAPVT XIV.

Imperatores, Reges & Magnates, ab hostibus victi, tonsi, rasi & monasterijs inclusi.

PRimo huius Opelli libello, plures ad ignominiam tonsos aut rasos, ab Imperatore præsertim Domitiano, Romæ conspeximus. Nunc Magnates & Reges haud paucos, ac inter eos, Imperatores aliquot pudendè misereque TONSOS, in MONASTERIA pelli connotenus. Itane in Monasteria? planè quasi in ergastula, seruorum instar, pulsi, tonsi, abrasi, tantùm non *inscripti*. Hancce miserorum ablegationem, ab Orientalibus primùm excogitatam, Occidentales postliminiò imitatum iue-

re: vt ferè quotquot victores, iniectâ manu, suum hostem caperent, quasi hostiam * adtonsam, ab castris ad claustra cum adfinibus & sanguine iunctis, transmitterent immolandum. Hinc Imperatrices, Reginas eorumque liberos, hoc ipso non liberos, agmine copioso subsequens Tabella laconicè complectitur, vnico Lectoris adspectu contemplandos.

* *Soluisse hostias tõderi docet Virgilius* summas carpens media inter cornua setas.

TABEL-

TABELLA DYNASTARVM, QVI PER IGNOMINIAM TONSI, ET IN MONASTERIA DETRVSI FVERE.

IMPERATORES.	REGES.	FILII IMPERATORVM.	FILII REGVM.	DVCES.
Art. Anastasivs.	Pipinus Aquitaniæ Rex, Pipini F.	Pipinus Gibbosus Caroli Magni Imperatoris F. Nothus.	Theodo Tassilonis III. Bauariæ R. F.	
Theodosius IV.	Carolus Aquitaniæ Rex, Pipini præfati frat.	Carolomannus Caroli Calui Imp. F.	Carlomannus & Pipinus, Carlomanni Austrasiæ R. FF.	Ioannes Participatius Iustiniani Ducis F. Dux Venetum
Stauratius.	Ludouicus Iners Frãcorum Rex. XXVIII.	Nicephorus & Christophorus, cum fratribus, onstantini Imp. FF.	Bernardus, Pipinus, & Herebertus, Bernardi Italiæ R. FF.	
Bardanes.	Tolgan Visigothorum in Hispania R. XXX.	Stephanus Ducas, Constantini Cęsaris, qui contra Constin. VII. Imperium inuaserat, F.	Hugo Lotharij Austrasiæ R. F. nothus.	
Michael III.	Eboricus Sueuorum in Hispania R. VI.	Constantinus Cęsar, Michaelis V. Imp. patruus.	Alphonsus, Ordonius & Ramirus, Froilæ II. Asturum & Legionis R. FF.	Otho Vrseolus Dux Venetum Petri Ducis F.
Theophilactus.	Andecas Sueuorum R. VII.	Constantinus, Constantini Imp. XI. F.	Almus Geysæ Magni Hungariæ. R. F.	
Michael IV.	Bernardus Italiæ R. Caroli Magni nepos.	Alexius Manuelis Imp. F. nothus.	Sbigneus Vladislai I. Poloniæ R. F.	
Michael V.	Magnus II. Norvegiæ Rex VI.		Bela, Almi superiùs memorati, F.	Petrus Barbolanus, seu Centranicus Dux Venetum.
Isaacius Comnenus.				
Romanus V.				
Michael VII.				
Ioannes Ducas.				
Nicephorus III.				
Manuel Comnenus.				
Isaacius II.				
Andronicus Senior.				
Ioannes V.				

IMPERATRICES.	REGINÆ.	FILIÆ IMPERATORVM.	FILIÆ REGVM.
Constantina Mauritij vxor.	S. Andouera Chilperici I. Franciæ R. vxor.		
Maria, Constantini VII. vxor.	Theodigildis Ariberti Franciæ R. vxor.	Gordia cum duabus sororibus, Mauritij filia.	
Zoes, Leonis VI. vxor.			Ximena Froilæ Asturum & Legionis, in Hispania, Regis filia.
Theophano, Romani III. & Nicephori III. vxor.	Berta Carlomanni Franciæ R. vxor.	Tecla, Anastasia, Anna, Pulcheria } Theophili filiæ, sorores.	
Zoes Michaelis V. vxor.	Litopyrga Tasillonis vltimi Bauariæ Regis vxor.		
Theodora Imperatrix, Zoæ soror.		Anonymæ aliquot Constantini IX. filiæ.	
Eudoxia, Constantini XI. & Romani V. vxor.	Ingelburga Philippi Franciæ R. vxor.		

Inseratur fol. 232.

Est autem quod demiremur eorum aliquot sic intrusos, insignes pietate, scriptis claros, & Ecclesiasticâ dignitate celebres euasisse. Vide mihi Flauium MICHAELEM VII. Orientis Imperatorem à famæ quæ sub ipso inualuit, cognomento PARAPINACEVM, quem anno M.LXXX. Imperij moderamine spoliauit Nicephorus III. Botoniates. Sic coactus, sic in monachum adtonsus, veri monachi, veri Religiosi mentem induit; vt Metropolites Ephesi creatus, ad vsque tempora Alexij Comneni Cæsaris, vitam produxerit. *Michael VII. Imperator factus monachus creatura Episcopus.*

Quid, quòd Ioannes V. CANTACVZENVS, à Ioanne VI. Imp. Andronici filio Palæologo, genero, anno M. CCCLVII. cedere & in monasterium secedere, tondereque coactus, & mutato nomine, F. IOASAPH appellatus, Scriptor haud ignobilis euasit? Scripsit enim iam monachus, *Ioan. V. Cantacusenus monachus scriptor.*

Contra Saracenorum hæresim, Apologias IV. Basileæ excusas in fol.

Contra Machometem Oratione IV. impress. ibidem.

Contradictiones aduersus Prochorũ Cydonẽ.

Alia capita contradictoria, in eundem.

In eundem, librum alterum.

Paraphrasim in quinque libros Ethicorum Aristotelis, quæ Græcæ conscriptæ, Venetijs adseruantur, in Bibliotheca S. Ioannis & Pauli.

Ad

Ad Imperatrices, quod adtinet, nulla mihi maiori digna cordolio videtur, quàm CONSTANTINA Tiberij Imperatoris filia, quæ Mauricio Imperatore marito, filijsque à Phocâ tyranno crudeliter interemptis, in monasterium detrusa est, cum filiabus tribus. Ibidem dum adtonsæ, velatæque sanctimoniales viuere peroptant, à Petronia famula sua (vide impiam serpentem) delatæ; quasi saluti Imperatoris insidiantes, post diutinam membrorum torturam, eodem ipso, quo cæsus occiderat Mauritius gladio, percussæ interierunt. Quarum sepulchrum propè Constantinopolim sic inciſum ferunt:

Hîc sita sum Regum dolor, heu! miseranda duorum,
Mauritij coniux, filia Tiberij,
Quæ partu monstrante meo fœcunda probaui,
Multorum esse etiam posse bonum imperium.
Militis huc furor & populi leuis ira, maritum
Me, sobolemque meam, sanguinolenta tulit.
Hei mihi! Quid gemitis Nioben? ego mortua spiro,
Aspera continuis saxa rigans lachrymis.

Cladibus

Cladibus haud Hecubæ certent Iocastaque nostris,
Nam leuior dolor est, cæsus vterque parens.
Sæue quid infantes perimis, vitijque dolique
Ignaros? ætas quid dedit illa mali?
Non tibi, Roma, meis iam præbeo frondibus vmbras,
Turbine Trëicio stirpitus interij.

Quærat fortassis historiarum aliquis curiosus indagator, vnde mihi copia Magnatū Tabellæ superiori inscriptorū, ac per vim detonsorum? Orientales historici, sed & Baronius, maximè autem Arnoldus VVion copiam mihi fecere.

CAPVT XV.

Virgines Deo dicatæ etiam olim in Monasterijs amputato capillitio, tonsæ. Eam in rem historia producta Sanctimonialis fatuitatem simulantis.

CApite superiori, non modò viros sed & mulieres in monasteria quasi ergastula detrusas dixi. Itane etiam rasas aut tonsas? omnino. nam & Virgines quæ castitatem amplexuræ Deo se vouebant, capite detonso initiabantur, & diuisibilibus renunciabant. Posset hoc ipsum pluribus historijs

storijs cõprobari, quarum vnicam in medium producere satis esse duxi; egregiam sanè, & quæ viraginis Tabennesiotæ insignem virtutem describit. Tabennesis locus est in Thebaide quem multorum millium Monachorum ac Nonnarum Pater & Abbas Pachomius incoluit. Inter has autẽ Sanctimonialis virgo fuit, quæ propter Christum amentiam simulabat, sublimiorem humilitatis gradum faciliùs consecutura. Vnde veluti cœnobij spongia, vilia quæque munia exequebatur, & in omnibus, ancillis ipsis ancillabatur, adimplens illud Euangelij: *Qui vult inter vos esse magnus, sit omnium seruus & omnium minister.* Et illud: *Si quis videtur esse inter vos sapiens in hoc seculo, sit stultus vt fiat sapiens.* Eius historiam subsequenti ferè dictionis contextu prosequitur Palladius:

Matth. 2. Marc. 10. 1. Cor. 3.

Palladius in histor. Lausiaca cap. 41. Verbotenus.

Aliarum quidẽ VIRGINVM erat eiusmodi HABITVS vt essent TONSÆ & haberent CVCVLLOS IN CAPITE, ipsa verò panno caput obuoluta obibat earum omnium ministerium. Eam, nulla ex trecentis, vidit mandentem omnibus annis vitæ suæ. In mensa numquam sedit, neque vmquam fragmentum panis comedit, sed micarum mensas spongiâ colligens, & ollas lauans his erat contenta. Neque verò ea vmquam induit

induit calceos, non murmurauit, non paruum vel magnum quid locuta, etsi contumeliâ afficeretur, & pugnis tunderetur & maledictis appeteretur & plurimæ eam abominarentur.

Idem ibidē cap. 42.

De hac sancta, sancto Pitirum anachoretæ qui sedebat in porphirite viro probatissimo in virtute exercitationis, adstitit reuelans Angelus, qui ei dixit: Cur tibi places, & te magnificè circumspicis, ob ea quæ à te rectè & ex virtute geruntur, vt qui sis pius & religiosus, & sedeas in hoc loco? Vis videre mulierem te magis piam ac religiosam? Abi in monasterium fœminarum Tabennesiotarum & inuenies illic vnã quę habet DIADEMA IN CAPITE. Ea est te melior; quæ cum tanta turba decertans, & omnibus indiscriminatim seruiens, cor numquam abduxit à Deo, etsi ab omnibus superbè contemnatur. Tu autem etiamsi hîc sedeas per vrbes tamen vagaris cogitatione, qui orbem habitabilem numquam calcasti pedibus. Surgens autem magnus Pitirum venit vsque ad Monasterium Tabennesiotarum: & rogat magistros vt liceat transire vsque ad Monasterium fœminarum: vt qui esset ergo inter patres magnæ æstimationis, & consenuisset in exercitatione, bono ac fidenti animo, transmisso fluuio,

fluuio, eum introduxerunt. Cùm autem orassent, petijt Magnus Pytirum, vt virgines omnes coram ex facie videret. Cùm omnes ergo in medium accessissent, illa nō apparuit. Tādem dicit eis sanctus Pitirum: Cunctas ad me adducite. Cùm autem dicerent: Adsumus omnes, dicit eis: Deest vna, quam ostendit mihi Angelus. Eæ verò dicunt: vnam habemus *Salem* quæ est in culina; sic enim vocant illic eas quæ non sunt sanæ mentis. Dicit eis Magnus: Illam quoque adducite, finite vt eam videam. Iuerūt itaque ad eam vocandam; illa verò nequaquam obedijt, vt quæ rem sentiret. Nam fortè ipsi quoque fuerat reuelatum. Eā ergo vi trahunt, ipsi dicentes: Sanctus Pitirum vult te videre. erat enim is magni nominis. Ea ergo adducta, vidit Magnus eius faciem, & pannū in capite, & fronte eius; & cadens ad pedes eius, dicit ei: Benedic, Amma. Cadens autem ad pedes eius ipsa quoque, dicebat: Tu mihi benedic domine mi. Cùm hoc autem cūctæ vidissent obstupuerunt, & ei dixerunt: Ne tibi fiat probrū ac vituperium; est enim *Sale*. Eis dicit sanctus Pitirum: vos estis *Sale*; hæc enim & me & vobis est melior; est *Amma* (sic enim vocant matres spirituales) & quæso vt eâ dignus inueniar in hora iudicij.

Sale, id est stulta vel stultus, inde S. Simeon Salus apud Surium.

Eæ autem cùm audissent ceciderunt ad pedes

pedes eius flentes, & confitentes omnes, quòd beatam diuersis modis afficerent cõtumeliâ. Alia quidẽ dicens: Ego hanc semper subsannabam. alia: Ego eius humilem habitum irridebam. & alia: Ego eam tacentem afficiebam contumeliâ. & rursus alia: Ego quadræ eluuiem sæpe in eam effudi. alia: Ego ei plagas inflixi. alia rursus: Ego ea sum, quæ ei pugnos incussi. alia rursus: Ego sinapio nares eius asperfi. Et vt semel dicam, significabant omnes se eam varijs affeciſſe contumelijs. Cùm harũ ergo confessionem accepisset Sanctus Pitirũ, & pro eis simul cum ipsa orasset, & diu esset consolatus venerandã Christi seruam, sic exijt. Paucis autem post diebus, cùm ab omnibus valde honoraretur, & ab omnibus obseruaretur, non ferẽs beata gloriam & honorem quo afficiebatur ab omni fraternitate, & excusationes onus esse arbitrans, clam exijt ex monasterio: & quonam iuerit, aut quem locum subierit, aut vbi obierit, nemo cognouit in hodiernum diem.

Hactenus quidem Palladius in historia sua monastica quam Lauso præfecto dicatam *Lauſiacam* appellari voluit. Floruit autem is auctor sub finẽ quarti seculi, agitq; de eo Baronius anno CCCLXXXVIII. numero CIII. & seqq. item Bellarminus anno CCCXC. fuitque natione Galata agens

gēs aliquot annos in eremo cum Euagrio. Ab eo satis apertè docemur eius temporis Sanctimoniales tonderi solitas vt mirum nobis non sit Imperatrices, Reginas, earumque natas, tonsas, rasasue in monasteria pelli & concludi solitas, ea serie temporum, quā in Tabella capitis præfati partim manifestauimus.

CAPVT XVI.

Constitutio Sixti V. Pont. de Tōsura per Clericos seu milites Græcos, beneficia siue pensiones, obtinentes, deferenda; & pœnis contra inobedientes inflictis: publicata Romæ die XVIII. Ian. an. M. DLXXXIX.

CVm sacrosancta &c. Hâc nostrâ perpetuo valiturâ constitutione præcipimus, & mandamus, omnibus, & quibuscumque Clericis non solum in sacris sed etiam in alijs minoribus ordinibus constitutis, & clericali tantum tonsura insignitis, & nedum beneficia ecclesiastica qualiacunque, etiam simplicia, nunc & pro tempore obtinentibus, & in illis vel ad ea ius habentibus, verùm etiam pensiones super quibusuis fructibus, redditibus,

bus, aut prouentibus quarumuis Patriarchalium, Primatialium, Metropolitanarum, Cathedralium & aliarum quarumcunque ecclesiarum, seu Abbatialium, capitularium, & conuentualium mensarum, nec non Monasteriorum, Præpositurarum, Prioratuum, Præceptoriarum, Hospitalium, canonicatuum, præbendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum, & beneficiorum quorumcunque ecclesiasticorum, sæcularium, & quorumuis Ordinum regularium, seu illorum distributionibus quotidianis, ac iuribus; emolumentis & obuentionibus vniuersis sibi reseruatas, aut fructus ipsos, prædicare, aut bona ecclesiasticas loco pensionum sibi assignatos, vel assignata ex quacunque concessione, seu dispensatione Apostolica, percipientibus etiam coniugatis, præsertim si ijdem Clerici coniugati iuxta constitutionem piæ mem. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri in Concil. Trid. innouatam priuilegijs clericalibus vti velint, tã in Rom. curia degentibus, quàm extra eam vbilibet gentium, & locorum constitutis, vt ipsi & eorum quilibet quantumuis, & exempti existant, & quouis priuilegio, vel immunitate gaudeant, quacunque dilatione, aut tergiuersatione

satione postpositâ debeant omninò, qui in vrbe præsentes fuerint, intra quindecim dies, qui verò citra montes intra quatuor menses, qui denique vltra montes constituti sunt, intra octo menses, à die publicationis præsentium literarum, in Rom. curia faciendæ, TONSVRAM, & habitũ CLERICALEM, vestes, scilicet talares: aut milites infra dicendi, quibus pensiones, aut fructus, aliaue bona ecclesiastica reseruata sunt, suæ militiæ conuenientem quacũque remotâ excusatione, assumere, & iugiter deferre: in futurũ autem non nisi actu clericis in habitu clericali & TONSVRA; & militibus infra dicendis in militari incedentibus suæ militiæ propria, aut alia quacunque ecclesiastica, etiam simplicia beneficia respectiuè conferantur, aut cõmendentur, aut pensiones fructusue, aut bona ecclesiastica reseruẽtur. Alioquin ipsos & ipsorum quemlibet, qui quoad gestandum habitum clericalem, & militarem supradictum, lapso huiusmodi tempore, eorũ vnicuique vt supradictum est, præfixo, nostris huiusmodi præcepto, & mandato, nunc & in posterum perpetuis futuris temporibus cum effectu non obediuerint, præter alias pœnas contra eos inflictas, etiam quibuscunque dignitatibus, administrationibus, officijs canonicatibus, & præbendis, ac beneficijs

etiam

etiam simplicibus, & præstimonijs per eorum quemlibet in titulum, commendam, vel alias pro tempore obtentis, nec non pensionibus, & fructibus, ac prædijs, bonisque ecclesiasticis huiusmodi, quocũque modo eis reseruatis, vel reseruandis, omnique iure sibi in eis, vel ad ea quomodolibet competenti, harũ serie ex certâ nostrâ sciẽtiâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine priuamus, ac sine vlla alia monitione, citatione, iudicis decreto, aut ministerio, ipso facto priuatos declaramus, ac tam beneficia ipsa per priuationẽ huiusmodi vacare, libere alijs conferri posse quàm etiam pensiones cassatas, extinctas esse, & fore, ac fructuum, vel aliarum rerum reseruationes cessare, & quemquam vlterius ad illorum solutionem minimè teneri, & ob non solutionem censuras, & pœnas aliquas incurrere non posse, nec debere decernimus; ipsasque dignitates, personatus, administrationes, officia, nec non canonicatus, & præbẽdas, & beneficia sic pro tempore vacantia, & collationi, prouisioni, & dispositioni nostræ & Romani Pontificis pro tẽpore existentis, perpetuo reseruamus. Statuentes sic in præmissis vniuersis, & singulis, per quoscunque iudices, & cõmissarios etiam causarum Palatij Apostolici auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, &

eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, in quauis causa, & instantia iudicari, & definiri debere, nec non irritum & inane quicquid secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Cæterum milites, quarumuis militiarum sub regula aliqua approbata canonicè institutarum, vel alij Romanæ curiæ officiales, qui non vti clerici, sed potius tãquam milites iuxta priuilegia, & dispensationes Apostolicas eis in genere, vel in specie per nos, aut prædecessores nostros nominatim concessa, & sub felicis rec. Pij Papæ V. prædecessoris nostri constitutione, quæ incipit: Sacrosanctum &c. huiusmodi priuilegiorum forsan reuocatoria minimè comprehensa, beneficia militiæ, quàm professi regularia obtinent, seu pensiones super quibusuis fructibus, redditibus, & prouentibus ecclesiasticis etiam prædictarum ecclesiarum, & beneficiorum sæcularium, aut fructus ipsos sibi reseruatos percipiunt, aut obtinebunt, vel percipient in futurum, siue clericali charactere insigniti sint, siue non sint: qui verò clerici sunt etiam si ab initio tempore reseruationis pensionum, seu fructuum huiusmodi regularem habitum nondum susceperint, nec militijs officiorum Rom.

curiæ

curiæ aſcripti fuerint, ſed poſt factas eorum cuique reſeruationes, ante vel poſt publicationem præſentis conſtitutionis, milites effecti extiterint, ſub præcepto, & mandato præfatis de habitu, & TONSVRA CLERICALI deferendis, nolumus comprehendi; ſed ijs permittimus, vt regulari habitu militiæ, quam profeſſi ſunt conuenienti, vel ſi ipſi milites Rom. curiæ officiales fuerint, qui penſiones, aut fructus aliaue prædia aut bona eccleſiaſtica ex diſpenſatione, ſeu priuilegio Apoſtolico percipiant, habitu militari ſupraſcripto abſque alicuius cenſuræ vel pœnæ eccleſiaſticæ incurſu licitè vti valeant; & nihilominus tam beneficia ſuæ militiæ regularia retineat, quàm etiam penſiones ſuper eccleſiarum, & beneficiorum prædictorum etiam ſecularium fructibus, ſeu bona, vel fructus præfatos ſibi protempore reſeruatos percipiant.

CAPVT XVII.

Gallorum iam Christianorum antiquæ leges, capillitij tonsione sontes suos plectebant.

AB Oriente ad Occidentem, à Græcia in Galliam nostram veniamus, sontes capillitij deglabratione coërcitos animaduersuri. Nam & ille primus Occidentis Imperator Carolus, multis nominibus præsertim vero fidei defensione Magnus, coniurationis reos hac sanctione castigat: *Quicumque facere præsumpserunt, & sacramento quamcumque conspirationem firmauerunt, triplici ratione iudicentur. Primo: vbicumque aliquod malum per hoc perpetratum fuit, auctores facti interficiantur: Adiutores verò eorum singuli, alter ab altero flagellentur, & nares sibi inuicem procidant; vbi verò nihil mali perpetratum, similiter quidem inter se flagellentur, & CAPILLOS sibi inuicem TONDEANT.* Sed & rursum alibi: *Qui epistolam nostram, quocumque modo despexerit, iussu nostro ad palatium veniat, & iuxta voluntatem nostram, congruam stultitiæ castigationem accipiat. Et si homo liber aut ministerialis*

Lib. 3. de legib. Caroli Magni, art. 9. de conspirationibus.

Lib. 4. artic. 17.

rialis comitis hoc fecerit, honorem qualemcũque, siue beneficium amittat; & si seruus, nudus ad palum vapulet, & CAPVT EI TONDEATVR. Auctores quidam, per eam CAPITIS TONSIONEM, reorum eiusmodi in claustra detrusionem, & eorumdem monachismum significari censuere. Verùm quantum à verimoniæ scopo aberrent ij, docent ipsæ Francorum leges, quæ seruos & mancipia, monachatu interdicunt.

Erat igitur reuera pœna non mediocris delinquentium, siue capitis siue menti depilatio; vnde frequens illa in ore proauorum nostrorum adagialis imprecatio: *Que n'est il tondu! Ie veux qu'on me tonde. Ie luy feray la barbe.* Cum enim Gallia *comata* foret, dedecoris fuit capite tonderi aut barbâ minui. Nec alio fine Dagobertus Princeps adhuc iuuenis Gubernatori cuidam suo barbam iritatus abradi mandauit. Nullus itaque non comatus ac imberbis in Gallia, si monachos omnes & sacerdotes aliquot excipias; donec Franciscus Rex eius nominis primus in capite vulneratus, medicis suadẽtibus, comã deposuit. Venerunt in imitationem primo principes deinde nobiles reliqui; postremo, Gallicus *Regis ad exemplum, totus compositus orbis.*

CAPVT XVIII.

Sanctissimus pater noster Augustinus an barbatus: an coronatus. discessum ab opinione Iconographorum nostrorum.

NOn planè ad gustum iconographorum nostri seculi paucula loqui cogar, si de Tonsura CAPILLORVM & BARBÆ S. P. N. AVGVSTINI agere cœpero. Quid enim? demisso in pectus crine barbatũ dabimus, recentiorum more pictorum, qui Africano corpori, ceruicem Italicam eamque modernam adsunt? Augustinũ hîc in Augustino requiro, quoties eiusmodi effigies contemplor. Nec alium antipictorem volo quàm ipsummet, qui Carthaginense Concilium vnà cum alijs Episcopis celebrans, apertissimis verbis decreuit, *vt Clericus nec comam nutriat, nec* BARBAM.

Concil. 4. Carth. cap. 42. alia lectio habet, Clericus barbam tondeat.

Vnde Ludouicus ab Angelis instituti nostri Doctor Lusitanus, eo opere quòd laboriosiùs, dicam, an curiosiùs, DE VITA ET LAVDIBVS S. AVGVSTINI elucubrauit: *Africani Ecclesiastici Romanam semper Ecclesiam imitati,* BARBAM MINIME PROLIXAM

Ludouic. Ab Angel. lib. 4. de vita & laudib. S. Aug. ca. 2.

LIXAM *gerebant.*

Verùm nonne fortassis eremi latebras excolens, mento quoque pilorum siluam ante clericatum aluit? Eremitam date, altorem barbæ non dabitis, repugnantibus eiusdem æui scriptoribus, statutis, moribus. Imo verò fortiter obiurgat ipsemet intonsos eiusmodi, vocatque scandalosos & Ecclesiæ perturbatores; eo libro quem de Monachorum operibus scripsit: *Sunt alij quos isto sermone corripimus: illos autẽ qui vno* VITIO CAPILLORVM, *contra præceptum Apostoli* DEMISSORVM, *offendunt & perturbant Ecclesiam*. Merito itaque præfatus scriptor noster Lusitanus: BARBAM *etiam gestauit* (Augustinus) *decenter* ABRASAM *more Latinorum qui à Græcis & barbaris distinguebantur* IMBERBES, *etiam seculares; nec enim vsum* BARBÆ *prolixæ susceperunt nisi post Augustinum in Africa celebrem*. Quòd verò BARBAM ABRASAM dicat, non facilè suffragabor & propter caussas citatas reponi velim, ADTONSAM. Pro Corona eiusdem testes omni exceptione maiores, duos produco Hieronymum & hunc ipsum de quo loquor Augustinum. Ac prior quidem ad eummet epistolium scribens, concludit hâc periodo: *Fratres tuos Dominum meum Alipium & Dominum meũ Euodium, vt meo nomine salutes, precor* CORONAM TVAM.

Aug. de opere Monachor. cap. 33.

Ludouic. ab Aug. loco præfato.

Hieron. apud Aug. epist. 26.

Alter

Alter autem æquè apertè ad proculianum Episcopum scribens: *Per* CORONAM NOSTRAM *nos adiurant nostri; per coronam vestrã vos adiurant vestri.* Vnde adparet, populum Christianum enixiùs aliquid ab Episcopo petentem, soluisse eum per CORONAM obtestari.

August. epist. 147.

CAPVT XIX.

Vtrum Monachorum Nouitij olim in Coronam adtonsi: Historia S. Placidi Ordinis Benedictini producitur, & aliquot locis obscurioribus elucidatur.

PRæclarissimus ille Monachorum Occidẽtalium fundator Benedictus, inter primos ac primarios instituti sui sectatores, Maurum & Placidum habuit; hũc puerum, illum maturioris ætatis iuuenem; vtrumque natalibus & virtutibus insignem. *Quadam verò die dum idem venerabilis Benedictus in cella consisteret, prædictus* PLACIDVS *puer sancti viri* MONACHVS, *ad hauriendam de lacu aquam egressus est: qui vas, quod tenuerat, in aquam incautè submittens, ipse quoque cadendo secutus est. quem mox vnda rapuit & penè ad vnius sagittæ cursum eum à terra*

D. Gregorius lib. 2. dialog.

terra introrsus traxit. Vir autem Dei intra cellam positus, hoc protinùs agnouit, & Maurum festinè vocauit, dicens: Frater Maure, curre, quia puer ille qui ad hauriendam aquã perrexerat, in lacum cecidit, iamque eum longius vnda trahit. Res mira & post Petrum Apostolum inusitata. Benedictione etenim postulatâ atque perceptâ, ad patris sui imperium concitus perrexit Maurus, atque vsque ad eum locum quò ab vnda deducebatur puer, per terram se ire existimans, super aquam cucurrit, EVMQVE PER CAPILLOS TENENS, *cursu rapido redijt.* Hanc historiam à Magno Gregorio præfatis verbis expressam, versibus etiam alij cecinere. Carpenteius imprimis nostras, domo Atrebatensis:

Pone metum PLACIDE *ô placidissime, terra tenax est,* — *Ioã. Carp. in vita S. Bened.*

Quam tu reris aquam: viden' vt TE CRINE PREHENSVM

Maurus aquas calcans, saluum incolumemque reducit?

Salua quoque vrna: Deo, fluuij & liquida omnia parent.

Præfato poëtæ succinat Sangrinus Abbas insignis cœnobij Montis-Casini:

Dum puer haurit aquam PLACIDVS, *malè cautus in illam*

Labitur. Hæc sanctus mente pericla videns, — *Sangrinus in vita S. Bened.*

Aduocat

Aduocat atque iubet puero succurrere Maurum;
Impiger in medios irruit ille lacus.
Tum liquidas calcans, quas terram existimat, vndas,
CRINE RAPIT PLACIDVM, *restituitque Patri.*

Placidum habemus vtique monachum, sub vigilantissima perfectissimi archimandritæ disciplina merentem; sed reuera CRINITVM & promisso capillitio præhensionis ansam Mauri manibus exhibentem. Quid super his sentiemus? aut quis nobis illius ænygmatis Oedypus? non alius sanè quã ipsusmet eiusdẽ historiæ scriptor Gregorius, qui Fortunato Neapolitanæ ciuitatis Episcopo scribẽs, cautelam hanc obseruari mandat: *Monasterijs omnibus fraternitas vestra districtiùs interdicat, vt eos quos ad conuertendum susceperint, priusquam biennij in conuersatione compleant,* NVLLO MODO AVDEANT TONSVRARE. *Sed hoc spatio, vita moresque eorum solicitè comprobentur ne quis eorum aut non sit contentus quod voluit, aut ratum non habeat quod elegit.*

Greg. lib. 8. epist. ad Fortun. Episcop. Neapol.

His ita de TONSVRA S. Placidi declaratis, visum est de eiusdem CORONA non manufactâ quædam subdere. martyrium intelligo, cuius certamen ab Ecclesia Romana sic decantatur: *Messanæ in Sicilia natalis San-*

lis Sanctorum Martyrum PLACIDI *monachi discipuli B. Benedicti Abbatis, & fratrum eius Eutychij & Victorini, ac Flauiæ virginis eorum sororis; item Donati, Firmati, Diaconi, Fausti, aliorumque XXX. Monachorum, qui à Manucha pirata pro Christi fide necati sunt.* Extant eorum Acta à Gordiano conscripta, vt ferunt, Imperatoris Iustiniani iussu. Inibi legitur PLACIDVS Martyrio coronatus anno XIII. eiusdem Imperatoris, Christi verò DXLI. sed in numeri notam errorem irrepsisse chronographorum nemo dubitare potest, cùm annus XIII. præfati Iustiniani coïncidat in annum orbis redempti DXXXIX. Quin & Molanus Gordianum secutus, refert S. Placidum enecatum à Manucha pyrata *quem Abdalla barbarus Hispaniæ Rex misérat.* Itane Abdallam tunc temporis in Hispania regnasse? Imò verò Theudius Visigothorum Rex XIII. eâ tempestate regebat Hispanias; agebatque sui regiminis annũ XI. vt ex Vasæo & alijs Hispaniæ scriptoribus liquet: quibus etiam referentibus, patet Saracenos siue Arabes Hispanias non ingressos ante annũ Domini DCCXIV. Et quis eorum Regum Abdalla vocatus, ante annũ DCCLV. quo illius nominis Rex primus imperare cœpit; cui anno DCCLXXVI. successit Abdallas II. Primi filius? Itaque

Martyrol. Rom. 5. Octob.

Habentur Acta apud Surium & Lipoman.

Lapsus Molani in addition. ad Vsuard. 5. Octob.

PLA-

PLACIDVS adsetēdus est Martyrio coronatus, non à Saracenis aut Agarenis, sed à pyratis, quorum Dux Manucha vocitatus.

Quinam autē hi pyratę fuerint, etsi difficile sit adseuerare, tamen in re dubia licebit coniecturis agere. Nec malè cēsebimus eos fuisse Hunnorum populos, *Abares* appellatos quorum incursionibus & rapinis maxima Asiæ & Europæ pars deuastata legitur. Suidas hîc nobis audiēdus: *Abares internecione Bulgari deleuerunt. Abares autem hi, Sabinores expulerant, cum ipsi à gentibus litus Oceani incolentibus profligati fuissent; qua quidem gentes suam regionem deseruerant, ob caliginem ex Oceani æstu exortam, & Griphium multitudinem ingruentem. His itaque malis agitati, impetum in finitimos fecerunt.* Eloquitur haud dissimilia Sigonius: *Eodem anno (DLIX.) noua gens Hunnorum qui Abares dicebantur, ad ripas Istri venit, & amnem per hiemem conglaciatum nacta, flumine transmisso, in Moesiam prouinciam Romanam irrupit, ac variè populari agros hostili exemplo incœpit. Hi in omnibus rebus reliquorum Hunnorum cultui, præterquam in religatione capillorum, similes extitere.*

Suidas.

Sigonius lib. 20. de regno Occidentali.

Ex quibus adparet Gordianum eiusque sequaces affinitate nominū esse deceptos, qui Abares vel Agares, arbitrati sunt Abarenos aut Agarenos de quibus in psalmis:

Agareni,

Agareni, Gebal, & Ammon & Amalech, &c. quique postea florentissimas Asiæ & Europæ plagas, plagosis cladibus quasi plagiarias affecere. Sed neque solum ab eo lapsu erigendus & ab hoc deuio dirigẽdus Gordianus, cuius etiam epistolæ mendosæ (ei fortassis adfictæ) apud Leonem Ostiẽsem in appendice leguntur Chronici Cassinensis. In eis quippe nulla cohærentia consulum, cum annis Iustiniani Imperatoris ibidem notatis. Et vt hæc obiter adtingamus, extant ibidem epistolæ eiusdem Iustiniani ad Placidum nepotem suum datæ, anno duodecimo ipsius Imperij sub Coss. Boëtio & Cethego III. Iustiniani quidem annus XII. respondet anno Christi DXXXVIII. Consulesque habuit Ioannem & Volusianum: quorum ne vmbellæ quidẽ succenturiati leguntur Cethegus & Boëtius, qui consulatum re verâ gessere, sed diuersis planè temporibus; ille anno Domini DIV. hic autem DX. Eadem censurâ corrigas, quæ ei subijcitur, epistolâ Theodoræ ad S. Placidum datam, ijsdem consulibus & Imp. anno.

Sed maiori indigent castigatione eiusdem Imperatoris Iustiniani nomine literæ illæ ijsdem cõiunctę; quibus salua vult esse Cassinẽsi monasterio, quæ Tertullius Placidi parens quæue Iustinus senior Imp. eidem

dem cœnobio contuliſſet, nempe villas, rura, caſtra, opida, ciuitates & municipia ibidem recenſita, & quidem non parua vel exigua numero. At quænam ſub Theodorico Gothorum Rege, eſſe poterant alicui Romanorum Patricio, opida & ciuitates, vel quæ Iuſtinus Imperator huiuſmodi in Italia exiſtentia, potuit donaſſe non ſua? Nec enim glebam Imperator Orientis ſub Theodorico Rege in Italia poſſidebat.

Et quid illud ad finem: *Ex minio manu propria ſubſcripſimus.* cùm, teſte Suida, Iuſtinianus literas penitus ignoraret? & quomodo (vt ſuperiores epiſtolæ) eadem data legitur ſub Coſſ. Boëtio atque Cethego, anno XII. eius Imperij? Quàm inſuper illa ridenda ſubſcriptio teſtium:

THEODORICVS REX AQVILIFER.
BELISARIVS DRACONIFER.
MAVRICIVS LEONIFER
TIBERIVS LVPIFER.

Ac denique quonam modo ſubſcripſiſſe potuit ei priuilegio anno XII. Iuſtiniani Imperatoris Theodoricus Gothorum Rex, cùm longè ante hæc tempora deceſſiſſet, & poſt eum Athalaricus, inde Theodatus ac poſtea Vitiges eo anno XII. Iuſtiniani regnaret? Sed iſthæc miſſa faciamus & ad coronidem prope libelli properemus.

CAPVT

CAPVT XX.

Trium librorum præcedentium Anacephaleosis; & quædam in eis prætermissorum additamenta.

PRo coronide nostri *De Coronis* Opelli, visum est quædam subdere, quæ me superiora scribentem præterfugerunt. Ac primùm eccam tibi SVEVI iconem: Sueuorum autem capite II. libri I. meminimus, quorum mos fuit *horrentem capillum ligare in summo, vt hostibus terrori forent.*

FRANCVM adiungimus CORONATVM sanè, qualem anaglypticæ quædam tabulæ mihi subministrarunt: quē glabro vertice mi- *Vide Ioan. Cognatum in histor. Torna l. 1. 24 & 38.*

ce militasse arbitror, ne prænensionis ansâ hostibus daret.

Quantæ verò ignominiæ fuerit olim in Oriente BARBA minui, varijs licet in locis docuerim, hîc tamen additû velim lepidulum stratagema, quo BALDVINVS Comes Edessanus militibus suis stipendium conparauit. Habebat socerum hominem nummosum magè quàm cautum nomine Michaëlem. Ad cum itaque numeroso stipatus milite, consutis dolis, Melitenâ venit bonus gener. Rege regaliùs socerinis in ædibus excipitur. Exactis demû aliquot inibi diebus, cùm vnà fabularentur Balduinus & Michael, interuênere iuxta condictum, aliquot cohortium Duces primarij; quorum vnus ad Comitem conuersus, longâ & acuratâ dictionis serie, cœpit debitum

Guill. Tyrius de Bello Sacro lib. 2. c. 2.

bitum militibus stipẽdium exposcere. Cũque Comes sibi præsentem pecuniam esse negaret, subiunxit Orator ille: Militibus iam iã impatiẽtiâ rebellaturis, Comes, aut stipendiũ numerandũ aut promissum iuratumque pignus tandem persoluendũ. Arrectis auribus adstans Michaël, dolosi stratagematis nescius, generum suum ementitè perturbatum, rogare cœpit quodnam illud iurato promissum pignus foret: cui ille: Hæc BARBA quam gesto, mi pater. Stupefactus vir simplicissimus adtonitoque similis, & graui cordolio suspirans generum grauiter iurgare cœpit, quòd is virilitatis insigne, faciei decus, & honoris sui charagma leuiter adeo prostituisse velle videretur. Consertis demũ vltrò citroque varijs sermonibus, Michaël sui generi sortem, quam rebatur, iniquam miseratus, obpignoratam (scilicet) eius BARBAM, xxx circiter scutorum millibus redemit. Et sic emũcto sene Comes Edessam repedauit & militibus stipendium persoluit. Ex hac equidem historia satis aduertimus, quàm grauis illa fuerit quę nostrorũ atauorum ore voluebatur, insultatio vernacula: *Ie luy feray la barbe*. Ipsam etiam virilitatis insigne creditam esse suis temporibus, non inscitè cuidam sese radenti exprobrauit Diogenes: *An putas Naturã* *Vide caput 17. huius libri 3.*

aberrasse, quòd potius virum te, quàm mulierem effinxerit. Nec alia de caussa quibusdam gentibus in more positum fuisse legimus, vt si quid lugubre luctuosumque viro contigisset, is non prius lamentaretur quàm BARBAM deposuisset: quasi indecorum ratus virum, cum virili ornamento, gemitibus & vlulatui femineo vacare.

De Caluitio.

Ad superiores dissertationes insuper faciet laurea Cæsaris CORONA, quâ caluitium suum quasi profusioris libidinis indicium tegebat. Sanna enim in eum tryumphantem iacta fuit à militibus: *Viri, seruate vxores, mœchum caluum adducimus.* Hinc Elnonẽsis Poëta Caroli Calui Galliæ Comatæ Regis & Imperatoris gratiam venaturus, Libellum scripsit quem inscripsit DE LAVDE CALVORVM: cùm alioqui caluities, ea temporis tempestate, vituperio non careret. Libellus ille bellus est totus, constans CXXXIII. versibus heroicis, quorum singula verba literam C. capitalem habent. Auctor ille Nouatoribus nostri seculi ruborẽ parat, qui anno DCCC. XXC. clarus, CORONÆ & TONSVRÆ, non modò Monachorum, sed & Episcoporum ac Clericorum, vindex exstitit. Et Monachos quidem ratione depilati sacrâ rasurâ capitis CALVOS etiam vocat; & eorum encomiastes exstitit poëmatio subsequente:

Carmina

Carmina clarisonæ CALVIS *cantate Camenæ;*
Complures CALVOS *cogunt castissima* CLAVSTRA,
Cœtica certatim celebrãtes cãtica CHRISTO.
VERTICE CRINE CARENT, *collustrant culmina cœli;*
Cœlica concipiunt, cohibent curare caduca,
Cõponunt cartas, concinnant carmina clara,
Catholicum canonẽ certum conscribere curant.
Commulcant carnem, congestãt corde calorem
Constantem, castum; communi currere cursu
Contendunt celeres, cœlique capessere culmen.

De Episcopis autem, Sacerdotibus & Clericis verba faciens, ita concinit:

Coniubilant CALVI *celso clamore canori,*
Continuantque choro castas cantare choreas,
Conformes capiti, concordi corpore cuncti,
Complicitas Cleri cõtendunt condere caulas,
Correpto cornu cœlestia classica clangunt:
Conficiunt charũ Christi cognomine chrisma,
Consociant cuneo consperſos chrismate cœtus;
Concordes cautè celebrant commitia cœnæ.
Consaturant Christi conuiuas carne, cruore.

Meminit auctoris huius Ioannes Trithemius Abbas Spanheimensis: *Hugbaldus inquit, Monachus Elnonensis cœnobij, Ordinis Sancti Benedicti, natione Gallus, vir tam in diuinis scripturis, quàm secularibus literis eruditissimus, in musica, poëti, philosophia, & ceteris artibus humanitatis nulli suo tempore* *Ioan. Trith. de Scriptor. Eccles. Ord. S. Bened.*

secundus; quod multa ab eo conscripta testantur, de quibus ego tantum adhuc reperi subiecta: Ad Carolum Caluum Imperatorem, mirabile opus CXXXIII. versuum, in quo omnia verba ab vna litera C. incipiunt, vt Carmina clarisonæ caluis cantate camœnæ, quod prænotatur:

De laude Caluorum	*Lib.* I.
De arte Musica	*Lib.* I.
Gesta S. Lebuini	*Lib.* I.
Epistolarum ad diuersos	*Lib.* I.

Vitas etiam multorum ornato descripsit eloquio, & cantus in honore ipsorum dulci & regulari melodia composuit. Claruit tẽporibus Caroli Caluiı Imperatoris anno DCCC.LXXX.

Est autem Elnonense coenobium mediâ inter Tornacum & Valencenas viâ situm, vetus, & pernobile, auctore Sancto Amando erectum, multis dotatum priuilegijs, multis ditatum prouentibus.

Vin' iam, Bone Lector, ipsam Opelli coronidẽ? tribus verbis effabor. Quod Archipræsvli multis nominibus Permagno, huius Opelli mei Patrono, superiùs voui, idẽ tibi mihiq; voueo. Quid illud inquies? Ipsissimam, nempe, Cor nam vitæ *quàm repromisit Deus diligentibus se.*



FINIS.

0½.